QUAESTIONUM HORATIANARUM PARTICULA I ET II

Wilhelm Dillenburger

Digitized by Google

Lh 9.294

Harvard College Library

From the
CONSTANTIUS FUND
Bequeathed by
Evangelinus Apostolides Sophocles
Tutor and Professor of Greek
1842–1883

For Greek, Latin, and Arabic
Literature

Digitized by Google

D 664

Digitized by Google

Digitized by Google

QUAESTIONUM

HORATIANARUM

PARTICULA I. ET II.

SCRIPSIT

GUIL. DILLENBURGER.

BONNAE,
APUD TOB. HABICHT.
MDCCCXLI.

Digitized by Google

Digitized by Google

Praefatio.

Anno superiore quum ad nos pervenisset nuntius, *Orellium*, virum de antiquis litteris optime meritum, Horatii carminibus edendis operam et studium navasse, summa nos incessit exspectatio, num quae maxima beneficia alii scriptores ab hoc accepissent, eadem in Horatium quoque essent collata. Atque ea nos spes non fefellit. Nam quinque codices, quorum varietatem lectionum nobiscum ille communicavit, tametsi novi tam multum non habent, tamen magna eorum est auctoritas ad antiquam aliquam lectionem aut comprobandam aut refellendam. Addita est familiaris quaedam interpretatio, eorum potissimum usui destinata, quibus ad superiorum interpretum adnotationes inspiciendas et aestimandas aut facultas deest aut voluntas. In quo genere quo magis cavendum est, ne quae a poeta rectissime dicta sint, a legentibus prave intelligantur, eo maior adhibenda est cura et diligentia religioso interpreti. Quod quum omnino *Orellius* fecisset, tamen falsam et haud probabilem interpretationem pro vera et indubitata aliquoties vendidisse mihi videbatur. Id quum de hoc homine dico, ne arroganter dicere aut de huius laude detrahere velle videar, scribendi hac occasione data eorum, quae inter legendum in meum ac discipulorum usum exaraveram aliquam partem in publicam disceptationem vocare constitui. De codicibus hoc unum moneo, interdum non satis accurate adscriptas videri eorum lectiones. Quod quum magnopere mirandum sit in spectata viri diligentia et assiduitate, criminationis argumenta haec apponam. Quum enim in praefatione V. D. indicaverit, quae in singulis codicibus carmina legantur quaeque exciderint, postea ad ipsa carmina varietatem lectionum addiderit, non semel factum est, ut praefatio cum

Digitized by Google

ipsis lectionibus palam pugnaret. Veluti l. I. carmen 23 in praef. praetermissum est inter ea carmina, quae cod. *B.* contineat; ipsi tamen carmini subiecta est varia lectio, non levis quidem, sed gravis. Deinde p. VI ostenditur, *B.* habere l. III. carminis secundi nihil praeter vv. 1—4 et 13—16; tamen ex hoc cod. lectiones adscriptas reperimus ad v. 9 et 29. Idem cadit in l. III. c. 6, quod, etsi decem tantum primi versus cum 13 et 14 in hoc legi dicuntur, ad. v. 30 tamen huius lectione non caret. Deinde compara, quaeso, quae in praef. dicta sunt cum iis, quae de libris MSS. indicata reperies ad III, 23, 12. Aequa tamen fortasse est suspicio, non omnia tribuenda esse Orellio, sed partem operarum negligentiae. Quamquam ubique haec excusatio accipi nequit; nam ut credamus ex typographorum mendo *B.* scriptum inveniri pro *b*, quid fiet III, 2. versu 9, ubi non ex quatuor, sed ex his quinque codicibus *eheu* vocabulum receptum dicitur? Postremo quid cod. Bern. *c.* habeat, frustra quaeris ad IV, 13, 28 et ad finem carm. secul. inde a versu 68; postea tamen ad v. 72 haec leguntur: „de cod. *c.* nunc mihi non constat.“

Verum magnopere laudandus est *Orellius*, quod codicum suorum scripturas ita indicavit, ut ad orthographiam etiam, rem satis difficilem, nunc a *Guil. Freundio*, viro singulari et prope incredibili assiduitate insigni, in accuratam quaestionem iterum vocatam, utilitatis aliquid inde possit redundare. Id enim, quod *Freundius* Ciceronis codicibus diligenter inspectis examinatisque docuit, miro quodam consensu his etiam Horatii libris confirmatur. Tota autem res quum huius libelli fines egrediatur, de uno tamen loco, qui est de terminatione accusativi pluralis, pauca proponere libet. Etenim *Bentleius*: „accusativos, inquit, plurales, ubi genitivi in *ium* exeunt, in *is* hic terminatos habes. *Urbis*, *Auris*, *Omnis*: quae omnia me in antiquioribus Flacci codicibus reperisse fide optima testari possum.“ Videamus igitur, quid Orellii quinque codices, qui omnes decimo seculo recentiores esse non videntur, credere nos iubeant. Ac tantum abest, ut ubique in his inveniatur terminatio *is*, ut nihil pos-

Digitized by Google

sit magis esse incertum et instabile. Utraque enim forma in omnibus quinque codicibus reperitur. Si fides habenda est Orellio eiusque religioni in excutienda varietate, ut ubi unius codicis hanc illamve terminationem adscripserit, reliquos ibi codices alteram tenere ex ipso silentio liceat concludere, de mixto diversarum formarum usu haec possunt affirmari.

Cod. Bern. B. Sexaginta fere exempla terminationis is reperiuntur apud Orellium, duodeviginti alterius es. Qua in re non est praetermittendum, idem vocabulum modo in *is* exire, modo in *es*. Veluti:

Syrtes I, 22, 5. *Syrtis* II, 6, 3. — *aures* II, 19, 3. *auris* III, 11, 8. — Eiusdem generis vocabula utraque ratione scribuntur: *nitentes* I, 14, 19. *urentes* III, 4, 31. *urbes* carm. sec. 39. *arces* ibid. 65; contra *candentis* I, 2, 31. *laborantis* I, 17, 19. *gentis* I, 2, 5. II, 13, 20. *montis* I, 2, 8.

Cod. Bern. b. Hic vehementer favet terminationi es; etenim undecim tantum loci sunt, in quibus altera *is* admissa sit. cf. I, 2, 8. I, 2, 31 (a pr. m.) I, 14, 19. I, 22, 5. I, 34, 7 (a pr. m.) II, 1, 3. II, 9, 14. III, 3, 30. III, 4, 62. III, 8, 5. IV, 9, 15. Atque adeo ubi necessaria videtur terminatio *is* propter singularis numeri praestantiam, ter pluralem habet in *es* cadentem. cf. I, 6, 7 duplices; I, 25, 5 faciles; I, 29, 13 nobiles.

Cod. Sangall. S. Septendecim exempla terminationis *is* inveni; reliqua igitur vocabula in hoc codice alteram *es* sustinent. Et quod de cod. *B.* dixi, id ad hunc quoque pertinet, eadem vocabula duplicem sequi rationem. Cf. *Syrtes* I, 22, 5. *Syrtis* II, 6, 3. — *omnes* II, 6, 13. *omnis* II, 9, 14. — *graves* II. 1, 3. III, 3, 30. *gravis* I, 15, 16 — *nitentes* II, 7, 7. *nitentis* I, 14, 19.

Cod. Turic. T. Quadraginta fere vocabula in *is*, plus minus viginti sex in *es* exeunt, ut hic codex medium propa locum obtineat inter eos, qui alterutram scribendi rationem praeferunt. Ne hic quidem in diversis vocabulorum generibus diversam sequitur terminationem, sed diversam in eodem genere. *Gentes* I, 2, 5. II, 13, 20; *gentis* I, 15, 22. *montis*

Digitized by Google

I, 2, 8. — *graves* III, 3, 30. IV, 9, 22. *gravis* I, 15, 16. II, 1, 3. — *Gades* II, 6, 1. Syrtis I, 22, 5. II, 6, 3. — *Dulces* II, 12, 13. Epod. 16, 35. *mollis* I, 37, 18. — *cessantes* I, 35, 15. *tonantis* I, 34, 7. — *crines* III. 4, 62. *auris* II, 19, 3. III, 11, 8.

In *cod. Bern. c.* multo frequentior est terminatio *es*, nam quindecim tantum alterius exempla ab Orellio significata inveni. Tamen ne in hoc quidem magna constantia est. Cf. *gentes* I, 2, 5. II, 13, 20. *gentis* I, 15, 22. *ingentis* II, 2, 23. — *graves* I, 15, 16. *gravis* II, 1, 3. IV, 9, 22. — *urbes* carm. sec. 49. *arces* ibid. 65. *montis* I, 2, 8. — Sed indicabo omnes locos, in quibus de terminatione *is* certiores facti sumus: I, 2, 8. I, 2, 31. I, 15, 22. I, 24, 2. II, 1, 3; II, 1, 19. II, 2, 23. II, 5, 5. II, 8, 15. III, 5, 45. III, 8, 5. III, 27, 23. IV, 9. 15. IV, 9, 22. Epod. 2, 31.

Quae quum ita sint, vereor ne quod *Freundius* ad or. pro Mil. p. 11 de Ciceronis codicibus rectissime docuerit, idem ad Horatii libros MSS. valeat: „Quod enim de optimis codd. affirmari solet, eos spripturam in *is* desinentem paene constanter exhibere, id re diligentius investigata longe a vero abesse cognovi.“ — Neque tamen infitiandum est, magnopere nunc comminutam videri Orellii fidem et auctoritatem post accusationem *Hauthalii*, qui antiquissimi Bernensis codis descriptionem apud Orell. p. VI. et mancam esse et falsam in Iahni Ann. phil. 1838. XXII. 3, p. 338 sqq. ostendit. Is enim, qui praeter alios Bernenses codices hunc etiam olim legisset, melius de Orellii diligentia iudicare potuit; mihi vero id tantum concessum erat significare, quod in editione vir doctissimus contra se ipse peccavit. Ceterum in iis quas Hauthalius nobiscum communicavit lectionibus artis poeticae nonnullarumque satirarum accusativi pluralis terminatio *is* frequentissima est.

Scrib. Monast. Eifl. Idib. Iul. MDCCCXXXVIII.

Digitized by Google

Praef. ad Part. II.

Inter omnes Romanos scriptores, quorum libri temporis beneficio ad nos perlati sunt, nullus facile reperietur, qui quum omnium omni aetate hominum animos captos et semper tenuerit et nunc teneat, simul tamen a nonnullis hominibus tam male acceptus aut intellectus sit quam Q. Horatius Flaccus. Ea autem prope communis bonorum hominum est fortuna, ut quidquid bene de civibus suis et patria meruerint, postea tamen non deesse soleant, qui patriae amore, veritatis studio factum id esse negantes nihil sibi videre videantur nisi gloriae cupiditatem aut sui studium aut mercedis quoddam indignum aucupium. Quod quum de scriptoribus quidem mortuis fit, inde potissimum efficitur, quod quos libros posteritatis libero et vero iudicio illi commendarunt, de iis levi quasi pede transeuntes praepropere iudicare isti audeant neque suum errorem innocenti ac probo scriptori vitio dare dubitent. Hinc perpetuum illud adulationis crimen, quod hodie quoque, quum ad intelligendum Horatii animum, ad explicanda eius carmina, ad corrigendos veteres errores plurima undique conferantur, in optimum hominem inferri saepe et legimus et audimus. In qua re hoc animadvertendum est, si quis male paratus ad carmina summi inter Romanos poetae lyrici accedat, deinde festinanter et ambitiose, scilicet ut nova et insolentiora proferat, iudicium faciat, eum non iudicare sed calumniari. Cuius rei insigne et triste exemplum est *Menzelii* (Literaturblatt. 1839. N. 80. S. 320.), cuius verba quo sinceriora et remotiora videntur a mala arte et studio, eo magis digna sunt gravi reprehensione et castigatione, cum qua accepisse ea nuper *Teuffelium* Tuebingensem (Iahn. Ann. phil. 1840. 3. XXVIII. 3. p. 327 sq.) valde laudamus. Nimirum cavendum est iis hominibus, ne quis calidus aut recte

iratus cum Aristophane iis clamet ἔρδοι τις ἣν ἕκαστος εἰδείη τέχνην. Iis autem, quibus persuasum est de praestantia non carminum solum sed etiam morum Horatii et vitae, ea est imposita necessitas, ut ad exstirpandam pravam opinionem et eluendum malum iudicium recta interpretatione carminum in dies magis contendant. In qua re optime nunc de Horatio meruit *Duentzer* in libro qui inscribitur Kritik und Erklärung der Oden des Horaz. 1840; cuius libri ea est ratio, ut duplex inde capiatur commodum; quippe recte intellectis carminibus male iudicari non potest neque de moribus poetae neque de carminum virtutibus. Nam de his quoque nunc dubitatum est. Multa ex carminibus a *Peerlkampio* ut Horatio indigna eiecta sunt. Qui cum refellere student, iis exemplum imitandum est *Duentzeri*. Difficilis autem res est, multis rationibus impedita; et benevole accipiendum videtur, etiam si quid haud magnum afferatur. Quare quum *quaestionum Horatianarum particula I.* duobus abhinc annis a me edita non male accepta sit a viris harum rerum peritis *), alteram partem nunc addo, ut quantulacunque re ad unum alterumve locum rectius explicandum collata Horatio defuisse ne videar. In litteris autem nihil parvum.

Scrib. Monast. Eifl. a. d. III. Id. Nov. MDCCCXL.

---

*) Cf. Jahn. Ann. phil. XXIV. 4. 1838. 12. p. 434—436. — Ephemer. litt. Jenens. 1840. mens. Aug. p. 299—302.

Digitized by Google

Carm. I, 1, 13.

Gaudentem *patrios findere sarculo*
Agros Attalicis conditionibus
Nunquam *dimoveas*, ut trabe Cypria cet.

In his versibus, quorum de sententia nusquam dubitationi locus relinquitur, hoc unum incertum est, utrum *dimoveas* debeat scribi an *demoveas*. Quod genus quaestionis, quum in codicibus positum sit ambiguitatis fundamentum, latissime patet. Nimirum scribae, quorum aut festinatio aut inscitia magis etiam diversas res turbaret, in tam minutis rebus, qualis *de* et *di* particularum est accurata distinctio, qui potuerunt cum fide versari? Et ita factum est, ut quoties apud latinos scriptores verbum cum alterutra illarum particularum compositum legatur, discrepantia inter codices possit exspectari. Quid, quod ipsi quinque libri, quorum varietatem diligenter excussam Orellius nobiscum communicavit, praeter hunc locum duodecies inter se pugnant? Agitur autem in ea re recta inter illas particulas distinguendi ratio, quandoquidem ne utravis in quovis loco recte ponatur, vetat scriptorum dignitas et ipsius linguae praestantia. Levior enim videtur Joannis *de Gruber* sententia in specimine novae Suetonii editionis (progr. gymn. Sund. 1837.) sic scribentis de vv. *deminuere* et *diminuere* p. 14 „plerisque locis nihil interesse, utro vocabulo utaris.“ Quapropter bene fecisse mihi videtur *Handius*, cuius de his rebus grave est iudicium, quod Tursell. II. p. 183 alteram *de* deductionem (von wo weg), alteram *di* dissipationem (aus einander) significare arbitratus est. Ac *Kritzius* quoque ad Sall. Cat. XXV, 3 suo iure reprehendit *Gerlachium*, cuius sententiam, *de* et *di* particulas prisco sermone eiusdem fuisse potestatis, in levissima tantum veritatis

Digitized by Google

specie, non recta ratione niti affirmat; quamquam quod ipse dicit V. D. de natura particulae *de*, vereor ne omnino non possit probare. Idem cadit in *A. Vossium*, qui in adnotationibus ad Virgil. Aen. I et II. (progr. Crucen. 1832.) ad Aen. I, 211. ex clarissimi patris adnotatione ad Georg. II, 8 *dis* et *di* particulas non semper significare dissipationem, sed saepe etiam separationem docet, neque in Virgilii solum locis, sed in compluribus etiam Horatii id peccatum etiam nunc latere. Tamen in iis quos citavit V. D. locis Horatii: Od. III. 5, 21 *) et IV, 15, 7, vix cuiquam dubium esse puto, quin novissimi etiam editores recte scripserint *derepta*, non *direpta*. Ceterum viros doctos, qui de his particulis earumque frequentissima confusione disputarunt, multos nominavit *Weber* in Uebungsschule p. 141; quos omnes quod consulere mihi non licuit, magnopere doleo. Neque vero cum *Dietrichio* (Ann litt. antiq. Darmstadt. 1837. fascic. 7. p. 718) ad Weberi sententiam possum accedere, quoniam Handii auctoritas multo mihi videtur esse praestantior. Iam ut eo, unde egressa est, revertatur oratio, minus veram esse puto *Peerlkampii* rationem distinguendi: aliquem *dimoveri* exiguo tempore inde, quo mox redit, *demoveri* in perpetuum. Mihi quidem *dimovere* et *demovere* verba ita inter se differre videntur, ut illo tum maxime utamur, quum singulae res, quae in unum locum coactae unum quasi corpus effecerunt, ita secernuntur, ut alia in aliam partem abeat; altero *demovere*, quum complurium rerum vel partium communi spatii vinculo ante coniunctarum una tantum alterave locum, quem adhuc obtinuit, relinquit; reliquae non item. Quod si ita est, homines quidem possumus *dimovere*, qui loco, in quem erant congregati, relicto in diversas partes abire coguntur; hominem ab agris non possumus, siquidem agri loco non cedunt. Quod ut magis probabile videatur, haec lege exempla: Tacit. Ann. XI, 38 ,,nomen et effigies privatis ac publicis locis

*) Cfr. J. H. Voss Randglossen cet. p 253.

Digitized by Google

demovendas." Horat. carm. III, 5, 51. non aliter tamen *dimovit* obstantes propinquos", quo loco quod in uno certe codice Lips. legitur, *demovet* nequaquam potest ferri. Quid ergo in eo loco, de quo agimus, erit statuendum? Nimirum *demoveas* scribendum censebimus neque quidquam esse putabimus, quod *Orellium*, ut neglecta optimi et antiquissimi codicis *B.* auctoritate deteriores libros sequeretur, debuerit commovere; quum praesertim idem V. D. in aliis locis, in quibus eadem obtinet ratio, *demovere* recte praetulerit. Cicer. leg. agr. II, 29, 81 „Rullus exstitit, qui ex ea possessione rem publicam *demoveret.*" Pro Planc. 22, 53 „qui te incautum fortasse nunc tuo loco *demovere* potuerunt." De orat. II, 51, 208 „odium in alios struere discemus, et a nobis ac nostris *demovere.*" Atque id ipsum est, cur magnopere laudandus mihi videatur *Orellius*, qui carm. III, 8, 10 et III, 5, 21 non suadentibus etiam suis codicibus *demovebit* et *derepta* probanda indicaverit. Vellem tamen idem fecisset carm. IV, 5, 14, ubi a *Bbc* codicibus ita sibi imponi passus est, ut contra *T* et *S dimovet* inter poetae verba reciperet. Neque aliter *Fea. Bentleius* tamen et *Peerlkampius*, quod unum verum est, *demovet* praetulerunt. Denique ut recte *demoveas* in eo loco, propter quem haec scripta sunt, restitutum videatur, facit aliquid ea res, quod *demovere* habet etiam admovendi ad alium locum notionem. Cf. *declinare* Hor. carm. I, 33, 7. Liv. XXXII, 11 et ad h. l. *J. H. Vossium* in glossis ad margines librorum scriptis (a filio editis 1838) p. 281. — Vir doctus, qui de Orelliana editione in Ann. liter. Halens. 1837. N. 202. sqq. iudicium fecit, et hic et IV, 5, 14 *demovere* praestare censuit. Quod quum recte fecerit, ratio tamen, qua inter utrumque verbum discrimen statuit, haud probabilis videtur. Nam quod dicit, *dimoveri* corpora hominum, *demoveri* animos, id totum verum non est; si quis hoc modo distinguere vellet, dicere deberet: *dimoveri* corpora, *demoveri* et animos et corpora hominum. Quod discrimen sicuti positum est in eo quod supra scripsi, ita probatur idoneorum locorum testimoniis.

Digitized by Google

Carm. I, 2, 39.

Acer et *Mauri* peditis cruentum
Vultus in hostem.

Sic *Mauri* exstat in omnibus codicibus, quos viris doctis usu venit inspicere, praeterquam quod *Eduardus a Zurck*, Harlemensis, *Marsi* ex antiquis codd. reposuisse gloriatur. Idem olim *Tan. Faber* in vetustis se editionibus invenisse affirmavit, neque tamen his hominibus crediderunt ii, a quibus postea Horatii carmina edita sunt. Pari modo *Heinsius* pro *Mauris* volebat *Marsis* Hor. carm. III, 10, 18; quam coniecturam *Peerkampius* videtur probare. Nam certum iudicium non fecit. Tamen sive in codicibus et editionibus vere legitur, sive est *Fabri* emendatio, avide arripuit *Bentleius* hanc quam dicit certissimam emendationem. Et quod aliter fieri non potuit, principem criticorum multi deinceps editores secuti sunt. *Gesnero* tamen dubitationem iniecit *Jo. Fr. Christii* defensio vulgatae scripturae. Is autem Maurum equo deiectum de vita dimicantem pingi arbitrabatur; quam rationem nunc *Orellius* amplexus accurata expositione satis illustravit. Neque vero unam criminationem a *Bothio* iniectam removit. Scripsit enim Bothius in adnotationibus, quibus instruxit Feae editionem a se curatam: „Maurum ab equo excussum, itaque factum peditem interpretatur J. F. Christius ap. Gesn., ratione longe petita *et vix latina.*" In quo animus eum fefellit. Nam non modo latine, sed apud aureae etiam quam dicunt aetatis scriptores equites, qui equos reliquerunt, pedites appellantur. Considera modo hunc locum Liv. VII, 8 „Tandem equites alius alium increpantes, quid deinde restaret, quaerendo, si neque *ex equis* pepulissent hostem, neque *pedites* quidquam momenti facerent." Qui unus locus suppetere mihi videtur, ut latinitatem nemo possit in dubitationem vocare. Sed accedunt alii etiam poetarum loci, quales hi sunt: Ovid. Metam. XIV, 363.

„equique celer fumantia terga relinquit,
„Spemque sequens vanam silva *pedes* errat in alta."

Digitized by Google

et Virgil. Aen. VII, 666

„Ipse (Aventinus) *pedes*, tegumen torquens immane leonis
. . . . regia tecta subibat cet."

Ad q. l. *Heynius* „quod primum, inquit, *curru vectum* (v. 655), mox *peditem* incedere facit, in hoc morem Homericorum heroum sequi potuit," et *J. H. Vossius* gloss. p. 222. „Er kömmt auf dem Wagen an, steigt ab, und geht in den Palast." Neque haec videntur ab alia ratione diversa eaque apud Horatium satis frequenti: carm. III, 2, 4 „*puer* . . . Parthos feroces Vexet *eques*." Epod. 2, 5 „Beatus ille, *qui* . . . Paterna rura bobus exercet suis . . . Neque excitatur classico *miles* truci cet" Epod. 1, 34. „Haud paravero, quod aut avarus ut Chremes terra premam, Discinctus aut perdam *nepos*," ubi vid. Peerlk. et Orell. Simillimus etiam est Epod. 16, 34 „Ametque salsa *levis hircus* aequora." Quae quasi oxymora verba non sunt tam ridicula, quam videntur *Peerlkampio*; neque tam durum est intelligere *levis factus*. Liv. V, 2, 9 „Quidnam illi (trib. milit.) *consules dictatoresve* facturi essent, qui cet." q. e. *consules dictatoresve facti*. Cfr. Ovid. Metam X, 138 „Et modo qui nivea pendebant fronte capilli, *Horrida caesaries* fieri. Doederlein. Synon. Tom. III. p. 16. Solent scriptores, inprimis poetae, quae natura distraxit, loci propinquitate coniungere, quo maiorem in animos legentium exerceant vim ipso hoc verborum certamine. — Ita satis mihi videor reiecisse ab his verbis proscriptionem *Peerlkampii*, qui voc. *peditis*, quum nullam habeat neque gratiam neque vim, metro deberi opinatur; nam, inquit, *militis* dicere non potuit auctor. Bene quidem; *militis* dicere non potuit poeta, qui supervacanea et molesta egregie aspernaretur, nisi forte imaginis quam optimam animo concepisset splendorem inanitate verborum ipse vellet obscurare. Sic enim sentio, antiquam scripturam multo magis decere poetam, quam vulgarem ex Fabri coniectura natam imaginem.

Digitized by Google

Carm I, 5, 8.

> — — Heu quoties fidem
> Mutatosque deos flebit et aspera
> Nigris aequora ventis
> *Emirabitur* insolens.

Emirari verbum quum a communi omnium bonorum scriptorum usu abhorreat, omnes adhuc merito offendit Horatii interpretes. Et tamen bona pars eorum, quoniam omnes codices miro consensu illud tueantur atque etiam Donatus, qui ad Terent. Eun. V. 19 hunc locum citat Horatii, sic scripserit, a iusta suspicione defendere conati sunt. Veluti *Abreschius* in Obs. Misc. vol. VI. T. I. p. 285. *emirari* esse affirmat *externis signis admirationem summam ostendere;* sic *Oudendorpius* quoque ad Appul. Metam. V. p. 274. *Hertelius* ad Tac. Agric. 31. p. 55 *emirabitur*, inquit, est *mirari incipiet, cum stupore mirabitur.* Quasi vero idem sit *incipere mirari* et *cum stupore mirari. Peerlkampio* incertum est iudicium; quod scribit: *Mutatosque deos flebit*! *Ut aspera Nigris aequora ventis Emirabitur insolens*! in eo ipse vidit remanere difficultatem. Abreschium secutus est Orellius: „Est, inquit, vehementer demirari atque hunc affectum gestu significare"; alteram rationem ut veram adoptavit Germanicus Forcell. lexici editor et *emirari* nostrum esse dicit aufstaunen. Et forsitan aliquis dicat, quid est, quod poetam prohibuerit, ne novum etiam hoc vocabulum fingeret, qui alia non dubitasset? qualia sunt *aesculetum* carm. I, 22, 14. *allaborare* I, 38, 5. *tentator* III, 4, 71. *exsultim* III, 11, 10. *inaudax* III, 20, 3. *immetata* III, 24, 12. *Faustitas* IV, 5, 18. *belluosus* IV, 14, 47. *applorans* Epod. 11, 12. *inemori* Ep. 5, 34. *remiscere* pro permiscere carm. IV, 15, 30. Id si quis vellet obiicere et cum Abreschio Orellioque facere — quorum tamen interpretatio altera maiorem habet veritatis speciem — recordetur, quaeso, quam vere et acute Bentleius de hoc verbo disputaverit. „Quid vero, inquit, tam dignum in se continet *emirari*, ut vox nova plane procudi debuerit." et „Facile

Digitized by Google

quidem foret substituere *demirabitur*; sed si id ab Horatii manu esset, minime omnium credibile est, tam usitatum verbum in tot libris potuisse corrumpi, ut alterum et inauditum et nihilo significantius ubique eius vicem teneret. Quid, quod neutra quidem ratione confieri res potest: remanet enim in oratione ipsa subabsurdum quid et secum pugnans: Quoties, inquit, emirabitur insolens! Atqui si toties emirabitur, quomodo, quaeso, insolens? Certe non nisi prima vice insolens erit, post illam expertus et magis magisque assuetus futurus." Quibus argumentis permotus magnus ille criticus ad coniecturam confugit; suspicatur enim, propterea quod unus codex *et mirabitur* *) habeat, verum esse *ut mirabitur*. Sed quid inde lucramur? An vero *demirabitur* tam usitatum est, ut corruptionis causam continere nequeat, *ut mirabitur* minus erit? Quid tandem hoc habet tam rarum et insolitum, ut ex omnibus omnino codicibus *ut* particulae vestigia potuerint deleri? Neque cuiquam illud emendandi periculum probatum est. Quid multa? Persuasit nobis Bentleius, corruptum esse vocabulum; persuasit etiam, corruptionis causam latere in verbo quodam inusitato; non persuasit, tam facili remedio locum posse sanari. Dicam igitur, quid cogitatio mihi subministrarit. Credo ab Horatio scriptum esse *eluctabitur;* quod verbum quam facili opera et propter rariorem usum et propter litterarum similitudinem depravari potuerit, non est quod debeam ostendere. A codicibus igitur nulla erit difficultas, quum praesertim in vetusta editione Donati, Argentinae MDIII, non *emirabitur* inveniri, sed *et mutabitur* Bentleius affirmet. Ea autem vetusta editio quanto ad hoc propius accedit, quam ad Bentleium! Reliquum est, ut de sententia dicendum esse videatur. Poeta igitur perfidum Pyrrhae amorem comparat cum fraudulento mari, quod

---

*) Eadem varietas est Epod. 9, 12, ubi unus cod. Leid. apud Peerlk. pro *emancipatus* habet *et mancipatus*. Carm. I, 3, 8 *et serves*, ubi Fea e codd. *ut serves*.

Digitized by Google

per speciem tranquillitatis qui in littore versantur ad se quasi vocat trahitque, mox, quum miseri se suasque fortunas cum fide ipsi commiserunt, undas movet, aestuat, omnes avide absorbet. Naufragi *luctando* emergere student, natando salutem quaerunt. Neque tamen id omnibus contingit; qui servantur, diis gratias agunt. Hanc comparationem ostendunt v. 7 *aspera nigris aequora ventis*, v. 11 *aura fallax* i. e. dolosus ventus, cfr. Virg. Eclog. 9, 58 „omnes — ventosi ceciderunt murmuris aurae"; tum v. 13. *intenta*, quod idem ad turgidum mare potest referri, cfr. Hor. carm. III, 4, 31 „insanientem navita Bosporum tentabo," quanquam *tentare* audaciam maxime indicat; deinde, quod summum est, v. 13—16 *Me tabula sacer* cet. Hoc igitur puto Horatium dicere: quoties perfidiam tuam deplorabit, quoties a te deceptus ex hac quasi voragine emergere studebit, qui nunc fidissimam te et optimam esse opinatur! Sed, eheu, nequidquam conabitur. Peribit miser, neque tam erit felix, quam ego fui. — *Insolens* est, qui non est assuetus tantae perfidiae, tantis tempestatibus; est enim *intentata* Pyrrha. Haec de sententia. Sed ne quis mihi accusativum *aspera aequora* apud verbum *eluctari* obiiciat, legat, quaeso, hos locos: Tacit. Agric. c. 17. „super virtutem hostium locorum quoque *difficultates eluctatus*." Id. Hist. III, 59. „Vix quieto agmine *nives eluctantibus* patuit cet." Senec. quaest. nat. IV, 2. „Tandemque *eluctatus obstantia* in vastam altitudinem cadit (Nilus)." Stat. Achill. I, 524. „Tandem . . . oppositum vox *eluctata furorem* est" —

Carm. I, 6, 2.

Scriberis Vario fortis et hostium
Victor, Maeonii carminis *alite*.

Praeter reliquos codices etiam quatuor Orellii — nam in quinto *B*. hoc carmen non est scriptum — ablativum *alite* habent, non *aliti*, quae est *Passeratii* coniectura, multis ta-

Digitized by Google

men probata. Exemplum certe huius corruptionis praebet cod. *b.* ap. Orell., qui Epod. 17, 67. *alite* habet pro *aliti*. Facilitate etiam tametsi ea coniectura commendatur, tamen *Peerlkampius* et *Orellius* codicum ablativum retinendum esse censuerunt. Omissam esse aiunt particulam *a* apud verbum passivum; cuius generis duos citat Orellius locos Ovidii, Heroid. 12, 161. „Deseror . . . coniuge" et Metam. I, 747. „Nunc dea linigera colitur celeberrima turba." Eosdem locos inter complures alios maximam partem Ovidianos apud *Ruddim.* instit. gr. II. p. 212 reperimus. Peerlkampius hunc habet: Ovid. Heroid. 21, 179. Praeteriine tuas de tot coelestibus aras, Atque tua est nostra spreta parente parens." Sed quod gravius est, aliud attulit exemplum Orellius ipsius Horatii: Carm. II, 12, 25. „quae (a) poscente magis gaudeat eripi"; ad q. l. varietatis nihil adnotatum invenio, nisi quod unus Torrent. *quae a poscente* habet, haud dubie ex interpolatione. Unde saltem intelligimus, qui eam particulam addiderit, eandem eum rationem iniisse, quam nunc Orellius iniit. Verumtamen violentior in hoc certe loco ea est constructio atque etiam insolentior. Verba enim *poscente magis* tam arcte coniuncta sunt, ut nisi per vim divelli nequeant. Facit caesura, ut *poscente* ablativum propter comparativum locum habere credam. Caesura autem quid valeat, Orellius ipse docet ad Carm. II, 16, 19. Neque dissimilis est Horatii locus, carm. I, 25, 11, ubi Bentleii coniectura non verior mihi videtur quam Orellii interpretatio, modo sic construamus verba: flebis magis quam Thracius ventus, quum sub interlunia bacchatur, i. e. fletus tuus superabit strepitum Aquilonis. Deinde huc pertinet etiam carm. sec. 51. „Impetret bellante prior, iacentem Lenis in hostem." Videndum igitur est, quid poscat sententia, neque prius ad rarius constructionis genus confugiendum existimo, quam sententia usitatum non ferat. Et in eo quidem conspicitur Licymniae facilis saevitia, quod oscula negat, quantumvis si sibi eripiantur, maiorem ex iis percipiat voluptatem quam coniux, qui frustra poposcit; cuius rei indicium est, quod ante negata

Digitized by Google

sponte etiam offert. Quod si recte exposui, perspicitur demum quamobrem coniunctivo modo poeta usus sit: *quae gaudeat eripi*, *interdum rapere occupet*. Nam *occupet*, non *occupat* cum Bentleio legendum esse, bene Orellius monuit. Deinde quid opus est cum Orellio *poscente eripi* coniungere? At, inquit, admodum frigidus fingitur amator. Quid? qui *poscit*, frigidus est? Sed *poscere* verbi non satis rationem habuit V. D., neque vidit, non mutuum modo coniugum amorem a poeta describi, sed id quoque significari, Terentiam, quae quidem latere videtur sub ficto nomine, maiore paene in Maecenatem accensam esse amore, quam quo Maecenas in illam. Eo autem carior debuit esse Maecenati. Cfr. Epod. 14, 13 sqq. Quae omnia si vere sunt disputata, nihil iam proderit hic locus ad sustentandum ablativum *alite*, propter quem citatus est. Missum igitur faciamus; vellem tamen II, 12, 25 recepta esset multorum codicum, etiam Orellianorum, lectio *cum* pro *dum*. Nam quod *Braunhardus* dicit, praestare *dum* et auctoritate et vi, id ita verum est, ut idem de altero dicere liceat. *) Sed revertamur ad propositum. Reliqui igitur sunt Ovidii loci, in quibus omissa sit particula *a*. Verum quid docent? Numquid amplius, quam placuisse interdum Ovidio ita scribere? Ad Horatium igitur nihil valebunt, quamdiu ex huius carminibus meliora testimonia prolata non erunt. Nisi quis forte sentiat absolutum quendam ablativum, quem quum Scaliger ad Prop. in Horatii carminibus invenisse sibi visus sit, tum censor Halensis (1837. N. 204. p. 412) agnovit. Cfr. etiam Ruhnken. ad Vellei. II, 96. Ernest. ad Tacit. Ann. XIV, 17. Oberlin. ad Tacit. Ann. XV, 65. Relinquendam ideo censeo codicum auctoritatem, recipiendum dativum *aliti*, quem cum omnibus temporibus verbi passivi coniungere mos fuit poetarum. De qua re nunc legendus est *Wisseler* de dativo cum verbis passivis coniuncto (progr. gymn. Vesal. a. 1837), qui dativi cum

*) Eadem est codicum varietas Epod. 5, 55; ubi quatuor codices Orellii *cum* habent, non *dum*, ut possis dubitare, utrum rectius sit.

Digitized by Google

praesenti tempore coniuncti haec quatuor apud Horatium exempla reperit: epist. 1, 19, 3. „quae scribuntur aquae potoribus“, carm. I, 6, 1. „scriberis Vario - - aliti,“ ibid. I, 26, 3. „quis - - rex gelidae metuatur orae“; ibid. III. 25, 3. „quibus antris - - audiar.“ Hoc tamen quartum alienum videtur, quoniam *quibus antris* non est dativus pro *a quib. antris.* Nam quod Schol. Porph. „praedictos specus antra“ esse ratus in vv. *quib. antr.* denotat ἐπεξήγησιν figuram, id effecit, ut *Mitscherlichius*, *Braunhardus*, alii pedestris orationis consuetudinem affingerent poetae. Nae isti debuerunt sublato interrogationis signo comma ponere post *nova.* Sed incipit nova interrogatio a vv. *quib. antr.*, quae verba non pro dativo habenda sunt, sed omisit poeta suo iure particulam *in.* Id Orellius quoque intellexit. Accedit, quod ne *audiar* quidem coniunctivus est praesentis temporis, sed indicativus futuri. Quae ratio quam sit ποιητικωτέρα, quum statim a poeta *dicam* addatur, non est cur amplius ostendam. *Wisselerum* igitur deceperunt Mitscherlichii verba: „in quae antra abreptus *audiar meditans*, mediter atque canam cet.“; *Doeringus* meliora docere potuit. Specus autem et antrum hoc inter se differunt, quod *specus* dicitur de solitudine ac vastitate loci, *antrum* de divino poetarum deversorio. Ea est sententia Doederl. Syn. T. V. p. 141, quam vehementer confirmare videtur multitudo locorum a Bentleio ad carm. I, 32, 1. coacta. — Sed ne quid praeteream, recte docet Orellius, carm. IV, 4, 29. „Fortes creantur fortibus et bonis“ ablativum esse, non dativum. *Creari* enim verbum saepissime cum solo ablativo coniungitur; veluti Ovid. Metam. XI, 295. „illo genitore creatus“; XIII, 22. „Telamone creatus“; XIII, 616. „seque viro forti meminere creatas.“

Digitized by Google

Carm. I, 15, 17.

Nequidquam thalamo graves
Hastas et calami spicula Cnosii
Vitabis strepitumque et *celerem sequi*
Aiacem.

Orellius ,,nihilo minus, inquit, Telamonis filium hic significari puto, ut huic tribuerit, quod apud Homerum est Oilei f." Itane vero? Idne licuit Horatio? Et, si licuit, voluit poeta graecarum litterarum tam peritus? Potuitne peccare, in quo primus quisque puer negligentiae eum coarguisset? Vellem recordatus esset vir doctissimus, ea telorum genera nominari ab Horatio, quorum frequens et idoneus usus est fugientem hostem persequentibus, hastas et sagittas. Neque quidquam aptius his adiungi potuit celeritate pedum, cuius in eadem re maximus cernitur fructus. Appellavit igitur poeta Aiacem, Oilei celerem filium; alter Aiax, qui adversus hostes stabat sicuti πύργος (Hom. Od. XI, 556), vix quidquam effecisset. Neque Horatius semper summis Graecorum ducibus solis carmina illustravit; usus est etiam eorum personis, qui in secundo dignitatis gradu collocati sunt. Cfr. carm. IV, 9. 17. sqq. Ad quem locum iniusta est *Peerlkampii* censoris notio; scribit enim V. D. ,,Horatius, Achillem, Aiacem, Diomedem non omisisset. De Deiphobo certe ut minorum gentium tacuisset. Ante oculos habuisse videtur I. carm. 15. ubi etiam Teucer et Sthenelus laudantur. Sed in maiore aliorum numero, et alia quadam ratione." Non opus est quaerere, quam significare voluerit aliam rationem; est enim nulla. Deinde quas dicit odiosas repetitiones, *non sola*, *primusve*, *solus*, *primus*, tantum non necessariae sunt, quo id, quod sententiae quasi caput est, facilius percipiatur. — At si quis ut Telamonio Aiaci hoc quoddam beneficium Horatii servet, Ciceronis exemplum afferat, cui non semel in iis, quae ex Homeri carminibus sumsit, memoria fraudi fuit, ut quod huic ademisset, illi daret; huic facile, credo, potest responderi. Facit quidem Cicero Aiacem

Digitized by Google

in Achillis tentorio querentem de ferocitate Troianorum, quum apud Homerum Ulixes in querelas erumpat (cfr. Cicer. de divin. II, 39, 82. et Hom. Il. IX, 236.); tribuit idem quae Ulixis sunt Agamemnoni (cfr. de divin. II, 50. et Hom. Il. II, 299 sqq.); tamen Ciceroni id accidere potuisse concedo, Horatio nego. Magnum vero interest discrimen inter philosophum vel oratorem et poetam. Quid enim Ciceronis erat saepe etiam et attente Homerum legentis, tam anxie et accurate singulas orationes aut ipsa verba memoriae mandare, ut postea data aliqua occasione non posset errare? Condonabitur huic vitium; etiam Cornelio Nepoti. Cf. Bremi ad Corn. Nep. Datam. c. 2. Alia etiam ratio est Ovidii ab Homeri fabula discedentis, veluti Heroid. I, 15. „Antilochum narrabat ab Hectore victum.“ quamquam Antilochus a Memnone caesus dicitur apud Homerum. Cfr. censura Loersianae Ovid. Heroid. editionis in Ann. litt. antiq. Darmstad. 1837. X. p. 959. Sed poeta, qui ita Homerum lectitaret (cf. Epist. I, 2, 1), ut non hominibus solum eorumque facultatibus sua carmina exornaret, sed verba etiam et ἐπίθετα in suum usum converteret *), is profecto nisi levitatis ac negligentiae criminationibus sese vellet obiicere, scribendo summam diligentiam et cautionem adhibere debebat. Rafum est etiam in hac re, quod *Klausenius*, de carm. fratt. Arvall. praef. p. IX, de antiquis poetis docet: „Scilicet penitus abhorrebant omnes egregii antiquitatis poetae a temerario illo novandi studio, quo prave dicere non veretur scriptor, modo sua dicat. Ab aliis quae optime dicta erant, in suum inde ab ipso Homero poetae vertebant usum, neque quidquam mutabant, nisi quod imperabat vel res vel numerus.“ Itaque nisi ex aliis carminum locis Horatium eius modi vitiis obnoxium esse ostenderis, nunquam ei talia obiici sinam. Nam quod de pugna inter Lapithas et Centauros in Pirithoi nuptiis orta fabulam mutasse videtur carm. I, 18, 8, id plane

*) Peerlkamp. ad Carm. I, 6, 13. p. 38. b. „Horatius deum vel heroem Homericum memorans uti solet epithetis Homericis.“

Digitized by Google

diversum est; praeterea *Oudendorpii* coniectura *super merum* et facillima est et veri simillima. Ceterum inter Iliadis locos, qui sunt de Aiace Oilei f., hic maxime est memorabilis, XIV, 520

Πλείστους δ' Αἴας εἷλεν, Ὀϊλῆος ταχὺς υἱός·
Οὐ γάρ οἵ τις ὁμοῖος ἐπισπέσθαι ποσὶν ἦεν
Ἀνδρῶν τρεσσάντων, ὅτε τε Ζεὺς ἐν φόβον ὄρσῃ.

cf. XVII, 256. Deinde communis est huic Aiaci cum Telamonio eximia laus ab Agamemnone Il. IV, 285; tum inter novem *ἀρίστους* etiam minor Aiax est Il. VII, 164; denique inter se pares sunt Aiaces et eiusdem socii dignitatis et animi ex sententia ipsius Telamonii Il. XVII, 720.

Ἶσον θυμὸν ἔχοντες, ὁμώνυμοι, οἳ τὸ πάρος περ
Μίμνομεν ὀξὺν Ἄρηα παρ' ἀλλήλοισι μένοντες.

Postremo quam saepissime coniuncti splendida fortitudinis exempla edunt cognomines.

Carm. II, 8, 3.

Dente si nigro fieres vel *uno*
Turpior ungui,
Crederem.

Orellius: „*ungui* velut reduvia deformato.“ Multo vero melius *Mitscherlichius:* „si vel in uno ungui macula quaepiam s. nota appareret.“ Hoc ut praeferam, facit, quod etiam apud nostrates maculae albae, quales in unguibus digitorum saepe conspiciuntur, mendaciorum indicia habentur. Memini certe, numerari eas solere a pueris, ut quoties quisque mentitus sit intelligatur. Quare non debuit *Braunhardus* receptae Mitscherlichii explicationi tam seriam *Doeringi* adnotationem adiungere de credulitate antiquorum hominum, vitia corporis vel morbos vel alia repentina mala ad mendaciorum, periuriorum vel fraudis cuiusdam commissae poenam referentium. Scilicet apud Horatium tota est festiva sententia.

Digitized by Google

Carm. II, 12, 9.

Tuque pedestribus
Dices historiis proelia Caesaris,
Maecenas, melius ductaque per vias
Regum colla minantium.

Ad h. l. *Doeringus* „Maecenatem, inquit, vere conscribendae Augusti historiae manum imposuisse, fidem facit Plin. VII, 45." *Orellius* contra: „Mihi videtur locus communis: Et certe melius prosa oratione exponentur Caesaris res gestae"; infirmat deinde auctoritatem et Servii ad Virg. Ge. II, 42 et Plinii, tum ne Horatii quidem hunc locum facere quidquam posse ad illam opinionem ostendere conatur. Non premendum esse ait pronomen *tu* aut nomen Maecenatis; primum quod Horatii non fuisset evulgare eius modi propositum amici, quum ipse una cum omnibus scivisset nihil perfecti ab eo posse exspectari; tum Horatium, ut poeticam Maecenatis facultatem nunquam laudaverit, ita ne historicam quidem potuisse praedicare; deinde vel maxime esse improbabile, Maecenati in mentem venire potuisse Augusti historias componere; in qua re verax esse non potuisset, falsus atque adulator comparere certe noluisset. Iam ut ad tertium argumentum primum respondeam, nos certe qui possumus scire, quod consilium Maecenas inierit? quum praesertim multa a multis capiantur consilia, plura etiam mutentur. Porro, quid illud est: Maecenatem vera dicere non potuisse, falsa non voluisse? Hoc quidem concedo, illud nego. Nam ii etiam, qui in civili discordia alterutri patri addicti res gestas scribere parant, veritatem secuturos se et profitentur et sic ipsi sibi persuadent. Consulto igitur vera non dissimulant. Ita etiam Maecenas, ubi primum cepit scribendi consilium, integritatem animi ac fidem semper servare non voluit modo, sed potuit etiam. Potuit certe, nisi forte credas, quo in Augustum esset animo eum simulasse. Deinde quod dicit Orellius, quum poetica facultas Maecenatis ab Horatio laudata non sit, historicam non potuisse praedicari:

Digitized by Google

plane ignoro, quid ita iubeat argumentari. Quid, quaeso? Historica facultas nonne maior in Maecenate esse potuit quam poetica? Nescimus; sed potuit esse. Tum ab Horatio hoc propositum amici, siquidem erat, evulgatum esse ex hoc certe loco non liquet. Evulgamus enim ea, quae nobiscum solis communicata ab aliorum hominum cognitione removeri volunt amici. Id autem huc spectare unde scimus? Contra multo est probabilius, si eius modi erat consilium Maecenatis, id omnibus non solum familiaribus, sed qui aliqua auctoritate dignitateque fruerentur hominibus innotuisse. Accedit, quod Horatius ne dixit quidem aperte, Maecenatem id esse facturum. Potius in futuro *dices* videtur inesse vis iubendi vel monendi, ut saepius. Cf. carm. I, 7, 1. I, 20, 10. III, 17, 15. Sit igitur petitum ex his Horatii verbis et ex male intellecto Virgilii loco, quod Servius tradit; sit etiam nulla Plinii auctoritas, tamen *tu* pronomen et *Maecenas* vocativ. communem esse locum non patiuntur. Hoc certe negari nequit, honorificam Maecenatis esse compellationem, utpote hominis, qui et auctoritatis et facultatis et scientiae satis habeat ad tale opus suscipiendum.

Carm. III, 1, 21.

> *Somnus agrestium*
> *Lenis virorum* non humiles domos
> Fastidit umbrosamque ripam
> Non Zephyris agitata Tempe.

„Construe, inquit *Orellius*, lenis somnus non fastidit *humiles domos virorum agrestium.*“ Non aliter *Mitscherlichius*, *Doeringus*, *Braunhardus*. Multo autem melius *Acro*, apud quem haec leguntur: „Ordo est: Lenis somnus agrestium virorum non fastidit humiles domos et umbrosam ripam“; quamquam quod addit: „et non fastidit desiderantem, quod satis, Tempe agitata Zephyris“ nihil est, quoniam post v. *Tempe* cum stropha sententiae quoque finis

fiat necesse est. Equidem quid sit, quod turbato verborum ordine genitivos *agrest. vir.* ad vv. *humiles domos* referre interpretes iusserit, coniectura non assequor. An sententia? At bene habet: Lenis somnus, quo recreari videmus agricolas, non fastidit tuguria eorum, non desiderat divitum hominum laqueata tecta cet. Horatii autem consuetudo, si ad nomen substantivum alius casus accedat, utrumque tamen nomen adiectivo vel genitivo ornetur, ita quam saepissime collocat quatuor vocabula, ut duo altera primum et tertium locos obtineant, altera secundum et quartum. Veluti h. l. vv. *somnus levis* et *agrestium virorum* ea quam exposui ratione inter se excipiunt. Cuius rei nonnulla tantum exempla, quippe quae prima se obtulerint, apponam:

carm. II, 12, 1. longa ferae bella Numantiae
II, 16, 38. spiritum Graiae tenuem Camenae
II, 17, 22. Iovis impio tutela Saturno
III, 6, 4. foeda nigro simulacra fumo
III, 20, 14. sparsum odoratis humerum capillis
III, 21, 5. quocunque lectum nomine Massicum
III, 22, 7. verris obliquum meditantis ictum
Exod. 17, 33. cinis Iniuriosis aridus ventis.

Haec quum iam scripta essent, incidi forte, dum in ephemerid. scholast. a. 1829. lego, in *Franc. Wuellneri* observationem de artificiosa quadam verborum collocatione in pentametro latino. Quam cum cupide arripuissem, magno meo gaudio intellexi, virum illum doctissimum ante novem annos observasse, homoeoteleuton, cuius frequenti usu delectabantur poetae latini, inde saepissime exortum esse, „quod adiectiva et substantiva ultimum in utraque versus parte locum obtineant similique syllaba terminentur." Quae ut omnino recte disputata sunt, ita rationem ostendunt, qua nititur hoc de quo locutus sum collocationis genus apud Horatium. Nam si singula adiectiva singulis substantivis iuncta illo modo solebant disponi, bina adiectiva cum binis substantivis quem supra indicavi ordinem obtinere debebant, quum praesertim quatuor vocabula integri versus spatium explerent. Hoc

autem genus quam vehementer adamatum sit ut intelligatur, indicabo primi carminum libri locos, qui ad hanc rem pertinent. Sunt viginti quinque: I, 1, 1. 1, 4. 2, 11. 5, 6. 6, 6. 6, 13. 7, 14. 9, 7. 12, 23. 14, 5. 20, 1. 20, 3. 24, 10. 25, 7. 28, 11. 28, 19. 28, 29. 29, 13. 31, 4. 31, 5. 31, 12. 33, 15. 34, 10. 35, 7. 35, 23. Quibus adiungatur oportet I, 35, 1. „O Diva, gratum quae regis Antium. Nam vv. *quae regis* adiectivi et locum et vim habent suntque posita ac si scripserit poeta: O Diva grati regina Antii Cfr. I, 30, 1. Hoc etiam in fine placet adiicere, propter hanc ipsam collocationem c. 29, 13. praestantiorem mihi videri lectionem *nobilis*, quam alteram *nobiles*, etiamsi praeter reliquos tres etiam Orelliani codices hanc tueantur. Homoeoteleuton denique facit, ut c. I, 22, 11. *curis vagor expeditis* alteri *expeditus* praeferam. Neque enim cum *Peerlkampio* sentio, *expeditus curis* paulo plus significare quem *expeditis*, si quidem expeditis curis homo est expeditus curis, et qui est expeditus curis, eius expeditae sunt curae. Utrumque eodem redit. — Latius autem tota haec disponendorum vocabulorum ratio patet; conspicitur etiam in his: carm. II, 5, 22. „mire sagaces falleret hospites“ q. l. Orellius bene interpretatus est. Epod. 11, 17. „vulnus nil malum levantia,“ similibus; ac non in poematis solum, sed in oratione etiam: Cic. de orat. I, 7. „illa superioris tristitia sermonis. Cfr. *Handius* in libro de arte latine scribendi p. 359.

Carm. III, 3.

De huius carminis argumento quid sentiam expositurus, facile, credo, possum praetermittere, quomodo interpretes in alia omnia discesserint, quid laudaverint, quid vituperaverint, quid denique, ut orationem illam celebratissimam Iunonis certo quodam vinculo cum reliqua carminis parte coniungerent, crediderint aut non crediderint. Memorabilis tamen est sententia, quam *Struvius* explicavit in libro, qui inscribitur: histor. und litterar. Abhandlungen der königl. deutschen

Gesellschaft zu Königsberg, erste Sammlung 1830. p. 157—205; quae quum ipsum librum legere mihi non licuisset, innotuit tantum ex Annall. Scholast. Darmst. a. 1830. N. 122. Is autem hoc esse dicit carmen: „ein nach Virgils Tode bei der ersten Lesung der Aeneide entstandener Versuch, auf lyrische Weise, den Knoten derselben zu lösen, wie trotz des Hasses der Juno der Römische Staat bis zu Augustus Zeiten und unter ihm nach damaligen Begriffen die Weltherrschaft errungen habe." Quae ratio ingeniose magis quam vere excogitata videtur, quandoquidem nullo, quod sciam, apud scriptores indicio nititur aut vestigio. Id vero nisi accedat, lubrica sane et praeceps est via, cui in tam dubiis rebus sine audacia et vituperatione vix te possis committere; ut quid possit non quid debeat credi, et quaesivisse et invenisse nobis ille videatur. *Peerlkampio* tota oratio composita videtur ab antiquiore aliquo grammatico, qui lecta oratione Reguli simile aliquid tentare voluit. Ita nodum, ut solet, gladio expedivit. Ista autem vis est, quam quum nemini inferre liceat, in auxilium tamen vocare debuit homo, qui destructis sex septemve carminibus, disiectis eorum quasi parietinis novum conglutinaret carmen gnomicum. Ad quod quum parum se applicaret haec oratio, in exilium eiecta obstinationis poenam dedit. Inter multas quas *Braunhardus* collegit virorum doctorum opiniones ingeniosa sane est *Tanaquili Fabri*, attingere Horatium hoc carmine rem publicam, voluisse dissuadere Augusto, ne quod cepisse olim Julium Caesarem valida fama percrebuit, consilium exsequeretur, i. e., ne Roma Italiaque relicta imperii sedem Troiam transferret. Atque ea est haec opinio, ut hac etiam aetate nacta sit laudatores *Loebellium*, virum doctissimum, et *Düntzerum* (Ann. litt. Darmstad. 1836. Nro. 157. p. 1257); ab aliis tamen refutata est. Et recte quidem. Bene sic disputat *Orellius*: Augustum, dominatorem nimis callidum ac prudentem, hoc idem consilium nunquam agitasse; nullum eius rei vestigium nobis esse servatum nec si Augustus hoc animo volvisset, Horatii fuisse ei tale propositum carmine in vulgus edito dissuadere. Plurimis igitur

Digitized by Google

probata est ea sententia, qua in iustitiae et constantiae commendatione carminis summa cernitur: has virtutes viam ad immortalitatem aperire, has diu neglectas revocandas esse; id demonstrari exemplis Pollucis, Herculis, Bacchi, Romuli. Huius, Romani imperii conditoris, laudes maxime celebrari; propter hunc magnificam fieri *degressionem* ad Iunonem, propter hunc tam longam haberi orationem. Sic sibi persuasit Orellius, sic etiam *Wissius,* quaest. Horat. II. Sed vir doctus, qui de Wissii quaestionibus in Iahni Annal. philol. (1837. 9. XXI. 1. p. 105 sqq.) iudicavit, suo iure iterum obiicit longam Iunonis orationem, ac negat, quibus ita videatur, eos nimiam orationis magnitudinem satis defendisse. Et profecto; illa oratio quum quinquaginta versus complectatur, reliqua pars viginti, non per degressionem habeatur necesse est, sed ipsa contineat id, propter quod totum carmen est scriptum. Neque, opinor, inde quidquam lucrabimur, quod vir ille doctus in Iahn. Ann. disputavit, consuetudinem fuisse multorum poetarum, ut praebita quacunque occasione ex mythologia petitas narrationes aut mediis carminibus interponerent aut extremis adderent; easque degressiones carminibus ornamento fuisse et decori. Quod quidem et vix pertinet ad Horatii lyrica carmina neque eius modi erat, ut plus dimidia carminis parte consumta exiguum modo spatium vero argumento relinqueret. Quapropter degressionem poeticam semel abiiciendam censeo et quaerendum, quid sit, quod gravissimi carminis partes omnes complectatur, qua in re vera conspiciatur carminis summa. Est autem, si me audis, *laus et gloria nominis Romani, ab Romulo parta, per annorum seriem adaucta, ab Augusto ad summum fastigium elata.* In hoc igitur consentio cum *Hanovio,* quem nunc video pari modo carminis rationem exposuisse in libro de principatu Augusti p. 10 (progr. scholae Sorav. 1837), ubi haec leguntur: „Horatius Romanos celebraturus laudibus et principium Rom. imperii, Romulum dis additum, proponit et summum potentiae fastigium sub Augusto.“ Iustitia, constantia, fortitudo, paupertas (vide vv. 49. sqq.) virtutes sunt, quibus ornati veteres

Digitized by Google

Romani tot bella feliciter gerere, tot civitates gloriose devincere, tot etiam seditiosorum civium turbas sedare potuerunt. Romulus, prudentissimus et fortissimus imperii parens, posteritati quasi facem praetulit ad immortalitatem. Propter hunc factum est, ut constantiae ac iustitiae exempla non deos, non homines, sed semideos solos poeta proponeret. Cf. Hor. epist. II, 1, 5. Neque id minus cadit in Augustum, alterum huius imperii conditorem, qui Iulia gente oriundus a Venere originem duxit. Pollux, Hercules, Bacchus, Quirinus propter probatam in terra virtutem mortui inter deos recepti sunt; eadem manet Augustum fortuna; is etiam in coelum suscipietur. *) Merito autem poeta quam plurimum in Romuli laude versatur, ita tamen, ut quae omnia dicantur de futura gloria nominis Romani, ad Augusti laudem pertineant (cfr. imprimis v. 44.); atque ita rem suam peregit, ut melius non potuerit. Quid enim? Potestne magis illustrari hominis constantia animique magnitudo, quam si acerbissimi atque etiam potentissimi adversarii odium invidiamque superasse dicatur? Et quis potest Iunone cogitari inimicior, quis simul potentior Troianae gentis adversarius? Quae summi Iovis soror atque coniux tanto in totam Priami domum incensa erat odio, ut miseras etiam eius reliquias ad internecionem persequeretur. Qui tali hosti ut ab armis discederet non persuasit precibus, sed animi praestantia necessitatem quodam modo imposuit ac pacem admiratione quasi extorsit, is profecto egregium potest proponi et singulare exemplum virtutis. Quae virtus eo clarior est, quo minus ad pacem aequitatemque proclivis est adversarii paene furor. Iunonis idcirco, nativae, non temere provocatae adversariae, ingentem iram Horatius luce circumfundere voluit clarissima, quo merita Romuli magis conspicua fierent summis-

*) v. 12. Scribendum puto cum codd. *bibet*, non *bibit*, quidquid dicit Orellius. Cfr. III, 5, 2. qui locus est simillimus. Verum alia causa est IV, 5, 32 sqq. Ceterum in hoc genere codd. ubique fere fluctuant.

Digitized by Google

que laudibus exornaretur imperium Romanum; ita tamen, ut simul ostenderetur, quo quasi fundamento niteretur laus ac gloria rei Romanae. Divinae enim corporis et animi facultates Romuli quantumvis id effecissent, ut tum quidem pacata dea videretur neve inter deorum numerum referri illum aegre pateretur, tamen non satis valuerunt, ut simultate omni abiecta certa pax constitueretur. Caveant igitur Romani, ne vitiis, quae contraria sunt iustitiae, constantiae, moderationi, veteres inimicitiae reviviscant; caveantetiam, ne nimia potentia elati nimia moliantur neve omnia sibi concessa esse credant. Sic intelligo illud, quod inde a v. 57. addit Iuno. Extremum, quod contra deae voluntatem fieri posset, conarentur Romani, si Troiam urbem in pristinum statum restituere vellent. Et si hac lege totius orbis terrarum imperium Romanis permittitur, ne illius urbis reparandae consilium capiant: eo nihil aliud significari puto, nisi quod modo significavi. Id enim, si quid aliud, deae iram excitare debuit. Quod autem hac potissimum re Horatius usus est, id ideo fecisse videtur, quod Iuno est, cuius verba narrantur, et quod etiam tum omnium animis haerere potuit rumor ille de divi Iulii consilio. Sed haec hactenus. *Grotefendi* enim opinio (vid. Erschii et Gruberi encyclop. sect. II. part. X. p. 473.), qua carmine toto Augusti laudes ac merita de imperio Romano celebrari dicuntur, angustioribus terminis Horatium concludere mihi videtur. *Schulzii* autem (über Veranlassung und Absicht von Hor. III, 3. Düsseldorf 1831) et *Monichii* (Beleuchtungen Horazischer Lyrik. Progr. Schwerin. 1837.) libros ut legerem non contigit. Priusquam tamen ad aliam rem progrediar, non possum facere, quin paucis verbis moneam, falsam mihi videri *Orellii* adnotationem ad v. 30. „Ut poeta, inquit ille, nullam habet rationem aetatum inter Troiae excidium et Romuli adscensum in coelum praeteritarum." Nam odium atque inexplebilis ira tam firmiter in Iunonis animo insedit, ut ne tum quidem post tot annos iniuriarum possit dea oblivisci. Deorum concilium convocatum est in aedibus Iovis; deliberatur, utrum inter ipsorum numerum

Romulus recipiendus sit necne; reliqui dii advenae favent. Iuno non item. Audito solum nomine Romuli, Troiana stirpe oriundi, vehemens animi diu pacati affectio denuo resurgit, ab ipsa tamen Iunone reprimitur, ut morigeretur communi omnium deorum voluntati. Admittitur igitur Romulus ad convivium immortalium deorum; Martis quidem filius adhuc fuit mortalis; assuetus humano potui nectar nondum gustavit, eius delicias nondum sensit; *discit* igitur nectaris succos. Quae sententia si vera est, facit, ut v. 34. multorum codicum lectio *discere* pro eo, quod in reliquis est, *ducere* non tam facili opera reiiciatur. Deinde hoc certe loco multo facilius verbum *discere* propter rariorem usum abire potuit in *ducere*, quod iidem scribae alias intactum reliquerunt (cf. I, 17, 22. IV, 12, 14.), quam contra. Est aliquid etiam Porphyrionis auctoritas cuius verba „*adsuescere saporibus nectaris*" *discere* verbi, non *ducere* sententiam interpretantur.

Carm. III, 5, 15.

Hoc caverat mens provida Reguli
Dissentientis conditionibus
Foedis et exemplo *trahentis*
    Perniciem veniens in aevum,
Si non periret immiserabilis
Captiva pubes.

Orellius, ut tueretur omnium codicum scripturam *trahentis*, adoptavit *Iahni* interpretationem: „Ab exemplo perniciem in posteros trahebat, deducebat, i. e. dictitabat tale exemplum nimiae facilitatis ad redimendos captivos vim et auctoritatem perniciosam in posteros habiturum esse." Addit deinde: „et quidem contagii instar, de quo v. *trahere* interdum usurpatur." Vide locos apud Peerlkampium: Ovid. Metam. I, 190. Auson. Epist. 24. conf. Duker ad Flor. II, 13. et Burmann. ad Gratii Cyneg. 412. Quodsi Iahnus suam interpretationem satis firma exemplorum auctoritate defendere posset, libenter consentirem. Verum movet scrupulum verbi

trahere si non insolita, rara certe significatio. Quaerenti enim idoneus locus nullus mihi oblatus est, nisi similem putas hunc Sallustii: Iug. 93, 3. „tum Marius ex copia rerum consilium trahit.“ ad quem Kritzius: „*trahit*, inquit, non habat *cunctandi* notionem ut alias, sed difficultatem consilii capiendi significare videtur; nisi forte malis *trahere* aliquid *ex* aliqua re valere *repetere* vel *sumere* aliquid ex aliqua re.“ Quid igitur mirum, si Iahnus retracta sua opinione, mallem, inquit, cum Stephano scripsisse *trahenti*, quamquam codd. *trahentis* tuentur? Rectius igitur Orellius, qui pestiferi exempli cum contagio comparationem inesse docet. Quod si verum est, ut est, qui potuit vir doctissimus Iahni interpretationem probare? Quid est aliud pugnantia iungere, nisi hoc modo diversissima amplecti? Sic autem mihi persuasi. Vera est codd. scriptura; participium tamen *trahentis* non est: *qui trahebat*, sed *qui traheret*. Regulus enim, si captivi ut redimerentur suasisset, si obtemperasset amicorum ac totius fere civitatis precibus, perniciem ipse suo exemplo in futuram aetatem traxisset, ad ignaviam evocasset. Incipit igitur a vv. *et exemplo trah.* hypothetica quam dicunt sententia; neque id movet difficultatem, quod alterum participium *dissentientis* positum est pro *qui dissentiebat*, modo recordemur, in illo genere enunciatorum coniunctivi modi locum ab indicativo saepe occupari. Cuius rei exempla satis congessit Zumpt. gramm. §. 519. cf. Hor. carm. III, 16, 3. Apposite etiam, opinor, graeca dictio adhibebitur, qualis est apud Platonem Criton. p. 48. c. *τῶν ῥαδίως ἀποκτιννύντων καὶ ἀναβιωσκομένων γ' ἂν, εἰ οἷοί τε ἦσαν.* Qui locus remotis participiis sic erit constituendus: *οἳ ῥαδίως ἀποκτιννύασι καὶ ἀνεβιώσκοντο γ' ἂν, εἰ κτἑ.* Id si considerasset Bentleius, ineptam, credo, his verbis effici sententiam non esset arbitratus. Ex poetae iudicio dicta haec esse videntur, non ex Reguli sententia, id quod necessarium est, si Iahni opinioni adstipulamur.

Carm. III, 8, 19.

Medus *infestus sibi luctuosis*
Dissidet armis.

In exponendo hoc loco interpretes alius in aliam sententiam discesserunt. Quaeritur enim, *sibi* pronomen ad quod vocabulum pertineat. Sunt, qui id pronomen ad *infestus* adiectivum trahant, ut *Gesner;* sunt, qui ad *luctuosis*, ut *Fea* et *Orellius*; sunt, qui cum verbo *dissidet* coniungant, ut *Doeringus* et *Braunhardus*; suni denique, qui *N. Heinsii* coniecturam *infestis* — *luctuosus* propter unius alteriusve codicis auctoritatem *) sequantur, ut *Bentleius, Ianius*, alii. In hoc animadvertendus est mirus Doeringi error, qui est in his verbis: „dedi nempe lectionem (*infestus* — *luctuosis*), quam ex N. Heinsii coniectura in textum recepit Mitsch. Nec tamen displicet omnino vulgata lectio: Medus *infestis* sibi *luctuosus* cet.“ Nimirum quae coniectura est, eam codicum lectionem esse opinabatur. Iam quod Bentleius, quo suam sibi lectionem probaret, scripsit: „Sed in altera lectione et verborum collocatio venustior est et sonus syllabarum dulcior; ac non potest non iis placere, qui raras et eruditas aures habent“; primum quidem Gesner egregie iudicavit, antiquam lectionem si non aures, animum certe magis implere quam unius codicis lectionem Bentleii. Deinde ne id quidem rectum est, quod magnus ille criticus de venustiore verborum collocatione et de dulciore syllabarum sono nobis vult persuadere. Immo vero recepta Heinsiana coniectura periit tota versuum suavitas, ea certe, quam non modo Horatius, sed alii etiam veteres poetae studiose quaerebant. Scilicet ille non sensit vim homoeoteleuti, cuius de frequenti usu satis est apposuisse verba *Caden-*

*) Quam ne quis putet iuvari codice Turicensi, in quo *infestis sibi luctuosis* legitur, expediet comparare eiusdem codicis scripturam *commodis* carm. IV, 8, 1, quae forma licet in aliis quoque codicibus exstet, nemini tamen probabilis videbitur.

Digitized by Google

bachii, qui in libro de alliterationis apud Horatium usu (prog. schol. Essend. a. 1837.) ita scripsit: „Praeter hanc speciem longe illam frequentissimam, veteres poetae ea maxime delectati esse videntur, qua versus continui duo vel tres concluduntur homoeoteleuto, cuius speciei idem Horatius non pauca praebet exempla, e. g. carm. I, 9, 7. 8; I, 12, 13. 14. 15 etc." Nescio autem, quid acciderit Braunhardo, ut exposita satis praestantia Bentleianae lectionis ea ipsa verba Bentleii, quae supra transcripsi, omnia et immutata ad antiquam lectionem transferret. Sed quid amplius dicam de falsa hac opinione Bentleii, qui inter recentiores editores nemini, quod sciam, persuasit, praeterquam Anglo homini, qui caeco quodam civis sui amore captus arripuit omnia fere, quae ille excogitavit. Est autem *Iacobus Tatius*, qui Horatii opera hoc nomine edidit: „*Horatius restitutus* or the books of Horace, arranged in chronological order according to the scheme of Dr. Bentley, from the text of his second edition in 1713 and the common readings subjoined etc. By *I. Tate*. Cambridge 1832." — De prima et tertia ratione, quibus *sibi* pron. aut cum adiect. *infestus* aut cum verbo *dissidet* coniungitur, Orellius quum haec docet: „nentiquam vero iungendum aut *infestus sibi* aut *sibi dissidet:* sic enim v. *luctuosis* otiosum fit *ἐπίθετον*, omnia cum arma luctum generent; supervacaneum etiam est *sibi* iunctum cum v. *dissidet*"; sententiam dividat necesse est. Rectum est enim, quod dicit de vv. *dissidet sibi*; non rectum, quod *infestus sibi* vetat ne iungantur, et hanc ait esse sententiam: *infestus* alias Romanis, nunc *sibi* ipsi *luctuosis* cet." Quid? Post verba *mitte civiles super urbe curas* et post *Cotisonis*, Romanis infestissimi Dacorum regis, factam mentionem unum Medorum nomen nonne satis indicat, quae inter utrumque populum intercesserit conditio? Quid igitur sibi vult hoc *infestus alias Romanis?* quasi vero Parthi quum domesticis discordiis agitabantur, Romano nomini minus fuerint infesti neque solum nomen aeternum hostem imperii satis indicaverit aequalibus. Friget igitur, si quid sentio, ea quam Orellius voluit sententia; neque potest

Digitized by Google

ad *infestus* intelligi voc. *Romanis*. Otiosum dicere Horatius non potuit. Quodsi ita est, *sibi* pron. ab adi. *infestus* nisi violenter distrahi non potest. Verumtamen alterum adiectivum *luctuosis* non minus eget hoc pronomine, ne otiosum fiat *ἐπίϑετον*. Id bene vidit Orellius. Quid ergo? Ad utrumque pertinet *sibi*; est enim id genus constructionis, quod *ἀπὸ κοινοῦ* appellant; in quo haud parvum conspicitur poetarum artificium, passim non satis intellectum. Ut Hom. Od. I, 26, ubi dativum *δαιτὶ* ad *παρήμενος* solum pertinere male docet Nitzschius p. 10. Bene tamen observavit *Fuhrius* in Ann. phil. Iahni XX, 4. p. 389, apud Homerum Iliad. III, 224

Οὐ τότε γ' ὧδ' Ὀδυσῆος ἀγασσάμεϑ' εἶδος ἰδόντες

εἶδος accus. pertinere et ad v. *ἀγασσάμεϑ'* et ad partic. *ἰδόντες*; cf. Horat. Sat. I, 3, 2

Ut nunquam inducant animum cantare rogati.

Apud Horatium hoc genus admodum frequens est; veluti carm. II, 11, 11

Quid aeternis minorem
Consiliis animum fatigas?

ubi abl. *aeternis consiliis* non magis ad v. *fatigas* pertinet quam ad compar. *minorem*.

Carm. II, 17, 22

Te Iovis impio
Tutela Saturno refulgens
Eripuit.

ubi dat. *impio Sat.* communis est utrique verbo.

Carm. III, 10, 10

Ne currente retro funis eat rota.

ad q. l. Orellius *retro* ad utrumque verbum pertinere recte affirmat. Eadem est ratio carm. III, 23, 15.

Te nihil attinet
Tentare multa caede bidentium
Parvos coronantem marino
Rore deos fragilique myrto.

in q. l. nescio quid ingrati haec habet constructio Peerlkampio, delicato nimis iudici.

Digitized by Google

Epod. 5, 40.

Interminato cum semel fixae cibo
Intabuissent pupulae.

Epod. 17, 5

Refixa coelo devocare sidera.

Sat. II, 1, 85, ubi Heindorf. p. 250.

Quibus locis accedit, nisi animus me fallit, carm. sec. 31

Nutriant fetus et aquae salubres
Et Iovis aurae.

ubi *Peerlkampius* comma posuit post *salubres*; *Orellius* contra, commate posito post *aquae*, *salubres* adi. ad auras solum, non ad aquas trahendum esse docet. At si hoc ultimum colon *Et Iovis aurae*, nisi iungatur *salubres* cum *auris*, nimis tenue evadit, idem cadit in aquas. Quapropter adiectivum medium inter nomina subst. positum ad utrumque referendum neque ulla distinctione segregandum esse censeo a voc. *aquae*. Nam quod addit V. D. „atque omnino *aquae salubres* pro imbribus non nimiis neque propterea noxiis mire dictum videtur," id vereor ne acutius quam verius dictum sit. Pluvia enim quum tantopere valeat ad nutriendas fruges, quid est quod latine quominus *aquae salubres* appellentur prohibeat? Nobis quid usitatius est dicere quam heilsamer Regen? Aquam autem pro pluvia latine dici ostendit Peerlkamp. ad carm. III, 19, 6 p. 317. b; quamquam eo loco quod pro pluvia accepit, non possum laudare. Cf. carm. III, 10, 19. Locus denique, quem v. *salubres* obtinet, ad meam sententiam videtur aliquid facere. Id enim vocabulum, quod duobus commune est, tantum non omnibus in locis medium inter illa collocatum est. Cfr. *Nissen* in Ann. antiq. litt. Darmst. 1837. fasc. XI. p. 1155. Alio modo *aquae* et *aurae* coniunguntur carm. III, 4, 8. Ita demum intelligi puto carm. I, 16, 6

Non adytis quatit
Mentem sacerdotum incola Pythius.

Genitivus *sacerdotum* communis est vocabulis *mentem* et *incola*. Neque enim nimis audacter dictum est *sacerdotum incola*, quoniam divinum numen sacerdotum pectora quasi

intrare ac furore implere veteres credebant. Cuius rei testis est Virgil. Aen. VI, 78 „magnum si pectore possit excussisse deum". Excutitur pectore, qui pectus ante intravit. Quamobrem Peerlkampius non debuit comprobare *Hemsterhusii* coniecturam *adyti*, ut sit *Pythius incola adyti*. Loci significatio *adytis* pro *in adytis* necessaria est, propterea quod sacerdotes nisi in ipsis adytis non corripiuntur a deo.

Carm. III, 20, 5.

Cum per obstantes iuvenum catervas
Ibit insignem repetens Nearchum,
Grande certamen, tibi praeda cedat
Maior an illi.

De h. l. *Orellius* sic disputat: „*Nearchum, grande certamen* iungendum per appositionem: repetet Nearchum, qui est causa certaminis grandis, de quo magnum inter vos certamen oritur. Alii separantes vv. *grande certamen* a. v. *Nearchum* explicant: grande est certamen; sed prior ratio magis poetica videtur." Sed in hac dictione nihil inest, quod ad poetam solum pertineat, nihil, quod pedestris oratio non ferat. Quamobrem non quaeritur, quid magis sit poeticum, sed quid verum sit, quid falsum. *Acro* et *Porphyrio* vv. *grande certamen* ad antecedentia trahunt. *Acronis* verba haud dubie corrupta sunt. Habet autem haec: „Ordo est: Cum per obst. cat. iuvenum ibit grande certamen, repetens insignem Nearchum nomine aut equitem Romanum, quem Pyrrhus tenebat Epirota, aut obscura elocutione in Pyrrhum sodalem certamen ire dixit, in mulierem, quae certamen cum ea habitura esset, cupiens illi eripere Nearchum, ipsam enim Leaenam grande certamen dixit." *Mitscherlichius* ita sibi emendare visus est, ut *in* particulam ante v. *mulierem* deleret, et pro *cum ea* scribi iuberet *cum eo*. Hoc recte vidit, in illo erravit. Utrumque ex Porphyrione intelligitur, qui eandem cum Acrone interpretationem his

verbis habet: obscuram elocutionem, quod certamen ipsum inire dixit, non mulierem, quae certamen cum Pyrrho factura sit, cupiens ei eripere Nearchum puerum." Ex huius verbis Acronis verba ita restituo: „Cum per obst. cat. iuv. ibit grande certamen, repetens insignem Nearchum. *Nearchi* nomine aut equitem Romanum, quem Pyrrhus tenebat Epirota, aut obscura elocutione in Pyrrhum sodalem certamen ire dixit, *non* mulierem, quae certamen cum *eo* habitura esset cet." Quae emendatio quam facilis sit, vix est quod exponam. *Nearchi* enim voc. post alterum *Nearchum* omissum esse hoc loco non magis mirandum est quam alias. Cfr. Cic. de orat. I, 1. „maximae moles molestiarum", ubi in codd. aliquot et editt. *moles* omissum. Simili ratione Peerlkampius Acronem emendavit p. 187. a. Deinde *non*, cuius compendium n̄ est, cum *in*, quod ī solet scribi, facillime commutatur. — Hanc autem veterem interpretationem optimo iure reliquit *Mitscherlichius*, quem *Doeringus* et *Orellius* secuti sunt. Quorum sententia tametsi multo aliis melior est, tamen vereor ne non satis sit accurata. Id ut credam, faciunt vv. *tibi praeda cedat maior, an illi* *), quae necesse est arcte cohaereant cum vv. *grande certamen*, idque quale sit indicant. Potius tota sententia: *grande . . . illi* est appositio, non ad *Nearchum* quidem, sed ad praecedens enuntiatum totum. Cuius dicendi generis luculentum exemplum hoc est Livii VI, 13, 7. „Pars maxima captivorum ex Latinis atque Hernicis fuit, nec hominum de plebe, ut credi posset mercede militasse, sed principes quidam iuventutis inventi; *manifesta fides, publica ope Volscos hostes adiutos.*" Neque dissimilem esse puto rationem huius loci Ciceronis, or. pro Mur. c. 20. § 41. „qua in sorte sapiens praetor, qualis hic fuit, offensionem vitat aequabilitate decernendi, benevolentiam adiungit lenitate audiendi: *egregia et ad consulatum apta provincia*, in qua laus . . . . concluditur." Sic distinguen-

*) Non male Peerlkampius: „Legendum: *tibi praeda cedat, Maior an illa.*

dum existimo, non punctum ponendum post *audiendi* cum *Klotzio*, aliis. Extrema enim verba appositio sunt, quae quum contineat id, propter quod iuris dicundi sors laudatur, divelli plane nequit. Cicero pro *sorte*, quo vocabulo bis deinceps usus est, *provinciam* dixit; quod idem fecit c. 8 §. 18. Praeterea de hoc appositionis genere, quo non ad unum vocabulum, sed ad sententiam aliquid additur, conferri potest Klotz. ad Cicer. Tusc. I, 43. p. 148, qui utinam plura de hac re exponere voluisset! Nam ne in praefat. quidem ad editionem orationum Cicer. Tom. I. p. LXIV aliud habet exemplum nisi illud ex Tuscul. disput., ubi ita legitur: „Cuius hoc dicto admoneor, ut aliquid etiam de humatione et sepultura dicendum existimem: *rem non difficilem*, his praesertim cognitis, quae de nihil sentiendo paulo ante dicta sunt.“ Apud Ruddim. inst. gramm. lat. II. p. 38 haec inveniuntur, Quinctil. I, 2. „Cogitet oratorem institui, *rem arduam*“, Virgil. Aen. I. praef. „Egressus silvis vicina coegi, Ut quamvis avido parerent arva colono, *Gratum opus agricolis.*“ Quos locos quum inter se comparaveris, duplex huius liberioris appositionis genus esse intelliges; alterum, in quo accusativo utuntur, alterum, in quo nominativo. Nam quod explicandi gratia additur, id et absolute, ut dicunt, poni potest, et ad praecedentis enuntiati verbum referri. Si absolute profertur, nominativo utuntur scriptores; contra accusativo. Graecis idem usus est; de quo nunc optime disseruit *Mehlhornius* in censura grammaticae Kühnerianae (Ann. litt. antiq. Darmst. 1837. IX. p. 876 sqq.), quem magnopere gaudeo simili certe ratione de hac re iudicasse. Etiam nobis duplici modo dicere licet, veluti ein deutlicher Beweis vel zum deutlichen Beweise. Sunt tamen loci, in quibus utrum genus appositionis statuendum sit, propter ambiguam formam possit dubitari. Ex his est Horatii locus et Virgilii, quandoquidem *grande certamen* et *gratum opus* et accusativi et nominativi haberi possunt. Verum in hac quoque re probanda est Mehlhornii sententia: quod forma incertum relinquatur, id satis destinari ipsa sententia. Quam

Digitized by Google

si sequemur, in utroque loco nominativum esse censebimus. In eo igitur, quod cod. Lips. 3 habet: *grande certamen erit,* latet vestigium verae explicationis, quae est *quod grande certamen erit.*

Haec habui dicere de liberiore hoc genere appositionis; quod ne confundatur cum altero, quod voluerunt *Mitscherlichius*, *Braunhardus*, *Orellius*, apponam locos, quibus quale illud sit perspiciatur.

Ovid. Art. am. I, 125

Ducuntur raptae, genialis praeda, puellae

Horat. Epod. 5, 13

Ut haec trementi questus ore constitit
Insignibus raptis puer, —
Impube corpus, quale posset impia cet.

ibid. 6, 6

Nam qualis aut Molossus aut fulvus Lacon,
Amica vis pastoribus cet.

Ceterum de tota re conf. Kritz. ad Sall. Iug. c. 103, 1. p. 557.

Carm. III, 24, 55.

Nescit *equo* rudis
Haerere ingenuus puer.

Ad h. l. *Orellius* sic scripsit: „*haerere*, firmiter insidere equo eumque regere. Cic. pro Deiot. 10: Itaque Deiotarum cum plures in equum sustulissent, quod *haerere* in eo senex posset, admirari solebamus.“ *Moebius* in adnot. ad l. l. Ciceronis *haerere* iisdem verbis *firmiter insidere* interpretatur. Cfr. *Klotzius* in argum. orat. pro Deiot. T. I. p. 393 „und auch noch als Greis fest auf dem Pferde gesessen habe.“ Neque tamen, opinor, satis accurate. Continet enim hoc verbum non tantum, quantum ei tribuitur, sed hoc solum significat: *non decidere equo, non deiici;* atque inter hoc et illud magnum quidem interest discrimen. Qui *firmiter* insidet equo et, quod rem magnopere auget, eum regit, is equi-

Digitized by Google

tandi artis est peritissimus; qui tantum valet, ut forti equo non decidat, non item. Hoc si sciat puer, satis est; illud equitis est perfecti. At, inquit, unde hanc de verbo *haerere equo* vel *in equo* sententiam comprobabis? Proferam testimonia. Primum illum locum Ciceronis paulo attentius vellem considerassent Viri Docti; quod ut hic possit fieri, integrum apponam: „Quibus ille studiis ab ineunte aetate se imbuerat, non saltandi, sed bene ut armis, *optime ut equis uteretur*; *ea tamen illum cuncta* iam *aetate exacta defecerant.* Ita Deiotarum cum plures in equum sustulissent, quod *haerere senex in eo posset*, admirari solebamus.“ In quo animadverte, quaeso, haec inferiora verba *haerere . . . posset* contra superiora illa poni *optime . . . uteretur.* Ex quo intelligitur, Deiotarum, qui adolescens equis usus esset optime, etiam senem propter continuam exercitationem tantum eius artis retinuisse, ut quum vires defecissent, tamen non curru, sed equo veheretur. Nimia igitur laus est, quae Deiotaro ab illis interpretibus tribuitur. Deinde multum ad meam sententiam probandam conferre mihi videtur Ovidii locus, quod sciam, nondum comparatus. Est autem Metam. IV, 26

Quique senex ferula titubantes ebrius artus
Sustinet et pando *non fortiter haeret asello.*

cui simillimus est cum sententia tum verbis alter locus de art. am. I, 543

Ebrius ecce senex pando Silenus asello
Vix sedet et pressas continet arcte iubas.

Quos locos si comparaveris, videbis certe eundem exhibere intellectum *et pando non fortiter haeret asello* et *pando asello vix sedet. Non fortiter* autem quid aliud est quam *vix?* Unde fit, ut *haerere* nihil sit amplius, quam *sedere*, neque quidquam habeat hoc verbum firmitatis vel fortitudinis. Quid, quod ipsius Horatii locus apposite conferri potest? qui est Sat. I, 3, 32 „et male laxus In pede calceus haeret“, ad q. v. *Heindorfius* bene vidit, non debere *male* adv. turbato verborum ordine ab adi. *laxus* segregari.

Digitized by Google

Braunhardo imposuit Acronis auctoritas. Sed ne plura. Nam *haerere* verbum ubi alias etiam legatur, ibi non tam firmitatem significare quam negantem habere notionem, id ideo dico, ne quis contra me afferat alios locos apud Horatium aut quales collegit Kritz. ad Sall. Iug. 28, 1.

Carm. III, 29, 6.

Eripe te morae;
Ne semper udum Tibur et Aesulae
Declive contempleris arvum cet.

Quod in bona parte codicum legitur *nec*, id ab *Orellio*, cuius optimus et antiquissimus codex Bernensis (*B.*) illis accedit, inter verba poetae receptum non esse valde miror. Asyndeton enim hoc certe loco nescio quid habet ingrati ac paene duri. Neque quod *nec* cum coniunctivo, qui ipse est imperativi loco, coniunctum habebimus, dubitationis potest causam praebere. Id haec ostendunt exempla:

Hor. carm. I, 9, 15

Nec dulces amores
Sperne puer neque tu choreas.

Id. carm. I, 11, 3

Nec Babylonios Tentaris numeros.

Propert. IV, 6, 47

Nec te . . . . terreat.

Hor. carm. III, 7, 29

Prima nocte domum claude *neque* in vias
Sub cantu querulae *despice* tibiae cet.

Ovid. Heroid. 16, 11

Parce, precor, fasso: *nec* vultu cetera duro
Perlege, sed formae conveniente tuae.

ad q. l. Vir doctus in Ann. litt. antiq. Darmst. 1837. X. p. 981 hos attulit:

Ovid. Met. I, 462

Tu face nescio quos esto contentus amores
Irritare tua: *nec* laudes assere nostras.

Digitized by Google

Virg. G. II, 96

Nec cellis ideo contende Falernis,

Cf. Zumpt. gramm. §. 585 adnot. (edit. 7mae), qui duo habet alia exempla. Quare etiamsi saepe scribarum errore *ne* in *nec* depravatum esse affirmet *Klotzius* ad Cic. Tusc. Disp. II, 15, p. 214 (cf. Bentlei. ad Horat. Sat. II, 3, 262.), tamen hoc loco contrariam corruptionis rationem esse credo. Conf. etiam adnotationes Zumptii ad gramm. §. 529 et Kritzii ad Sall. Cat. c. 34, 3. p. 158.

Itaque vereor, ut recte *I. H. Vossius* gloss. p. 255 iudicaverit, quum Hor. art. poet. 339 *nec . . . . poscat* in *ne* mutandum esse censeret; quamquam fatendum est, asyndeton non tam alienum videri ab huius loci natura, in quo singula praecepta sine verborum vinculis a poeta edita videmus.

Epod. 2, 23.

Libet iacere modo sub antiqua ilice
Modo in *tenaci gramine*.

Acronem, qui *tenax gramen* inde appellatum dicit „quod terram radicibus stringat et cespite" *Doeringus* et *Braunhardus* secuti sunt. *Mitscherlichius* „gramen, inquit, *tenax* densitate sua, densum; vel, quod recens actis radicibus terrae firmiter adhaeret, novum, viridissimum. Illud tamen praeferam. Longius petitum videtur, quod Torrentius affert: quod recubantem virore suo oblectat ac detinet. Sanadoni explicatio: quod vestigia impressa servat, minus suavem infert ideam." *Orellius* contra eos, quibus Acronis interpretatio probata est, optime monet neminem, qui humi se sternat, prius an gramen facile evelli possit periculum facere; et ideo aliam rationem ineundam esse ratus, quod propter densitatem non statim cedens, sed sese aliquantulum sustinens eo ipso molliorem cubanti veluti torum praebeat, *tenax* appellari gramen defendit; neque procul abesse, quod Latini alibi *lentum*, nos elastisch vocemus. Verumtamen utinam

Digitized by Google

Viro Docto unum etiam locum ad comprobandam suam explicationem idoneum afferre placuisset! Movet suspicionem insolens ea voc. *tenax* significatio; et licebit quidem dubitare, quamdiu similium locorum auctoritas non accesserit. Acquiescendum igitur erit in vulgari non loci intellectu, sed vocabuli significatione. Tenacia enim ut omnino ea sunt, quae quod contigerunt continuo arripiunt neque remittunt vel nolunt certe remittere, ita gramen propter eam rem *tenax* mihi videtur esse, quod euntibns impedimentum est procedendi, quod pedes quasi tenet. Ita herbae tenaces saepius appellantur, quae propter asperitatem corticis aut foliorum aliis plantis facile adhaerent. Veluti *tenax hedera* apud Catullum, carm. nupt. 60. v. 34; tum Ovid. ex Pont. II, 1, 14 „mixta tenax segeti crescere lappa solet." Plin. XXVII, 5 „herba asperitate etiam vestium tenaci." Pari modo gramen propter altitudinem tenax est, quod tum demum pedes non sinit facile proferri. Quo autem altius est gramen, eo mollius stratum, in quo quis bene possit cubare. Neque debuit Horatius ut poeta addere genitivum *pedum*. Et tamen, si dubitas, lege sis hos locos: Tacit. Ann. I, 63 „cetera limosa tenacia gravi caeno aut rivis incerta erant;" quocum conferatur ibid. c. 64 „ut haesere coeno fossisque impedimenta." Liquet, *tenacia* esse *loca*, quae propter altitudinem coeni festinantium gradus tardant. Neque est dissimile, quod legitur apud Senecam, Herc. fur. 678

„Gradumque retro flectere haud unquam sinunt
Umbrae *tenaces*."

I.

Carmen I, 9.

Ad thaliarchum.

Olim quum Horatius cum aliis aetate et animo coniunctis iuvenibus hilariter ac modice epularetur, forte factum esse videtur, ut gratae sodalium nugae et colloquia ad serias res, ad rei publicae tristem conditionem et ad futurarum rerum miseram exspectationem paulatim aberrarent. Is autem sermo quum accumbentium amicorum serenos vultus atris nubibus ut fit obducere, animos a iocatione et iucunditate coenae avocare coepisset, en subito poeta surgit et „demite, clamat, superciliis nubes, nolite quaerere quid futurum nobis ferre possit tempus, carpite diem et fruimini iis quae in praesens tempus divina dedit benignitas donis." — Hanc puto fuisse occasionem componendi parvi quidem huius sed egregii carminis. Iam admirare, quanta arte quantaque prudentia Horatius rem instituerit. Non sodales alloquitur sed thaliarchum. Nam id maxime cavendum est ne quis Orellium sequatur, qui „non loquitur, inquit, de vero *θαλιάρχῳ*, *συμποσιάρχῳ* convivii a se celebrandi, sed hoc nomen quasi proprium delegit, etiam quia sonorum." Quae utinam post *Iacobsii*, viri clarissimi, (Opp. T. V. p. 378) elegantem de hoc nomine disputationem in tam bona editione non legeremus. Ab ipso autem Iacobsio ita ego dissentio, ut non credam parari a poeta coenam, sed iam accumbentes videam sodales sive apud Horatium sive apud alium ex amicis. Neque id temere mihi ipse persuasi, sed persuasit carminis na-

tura et ratio, persuaserunt etiam aliorum carminum exempla. Similem enim quasi quandam tabulam videmus legentes carm. I, 37 et III, 21. Magistrum igitur convivii allocutus poeta admonet, ut quibus rebus in tanto frigore, quo omnis rerum natura contracta rigeat, maxime opus esse videatur, iis maiorem curam adhibeat; scilicet ligno quo extrinsecus, et vino quo intrinsecus calor possit augeri; deinde ut *cetera divis permittat.* — Iam vero quaeritur quae *cetera* esse arbitremur. Et breviter quidem *Orellius:* quae nihil ad nos attinent; quae interpretatio nulla est. *Schiller* (Commentar zu einigen Oden des Horaz. 1837) p. 49 ex v. 13 futuram rerum conditionem significari vult; at enim idem bis dicere Horatium quis credat? *Duentzerum* (Kritik und Erklärung der Oden des Horaz. 1840) p. 173 non satis intelligo; nisi forte gelu et tempestates significari credit; in qua re id ei fraudi fuisse opinor, quod ventos et tempestates imaginem simul esse non vidit, sub qua animorum tempestates et hominum discordiae perturbatusque rerum civilium status lateant. Eadem autem est imago Epod. 13, 7

> *Cetera mitte loqui:* deus haec fortasse benigna
> Reducet in sedem vice.

Qui locus claram lucem videtur afferre huic carmini. Totum enim illud carmen quum huic simillimum sit et verbis et re, tum longe apertius est et ad nostram intelligentiam accommodatius. Ibi enim qui statim subiiciuntur versus et imprimis haec verba

> Levare diris pectora sollicitudinibus

et

> Deformis aegrimoniae dulcibus alloquiis

prave nos intelligere carmen non patiuntur. Una enim vera ea videtur ratio quam nunc a Duentzero p. 190 initam gaudeo, scriptum esse Epod. 13 haud ita multo post proelium Philippense ad amicos cladis socios, de futuris rebus incertos ac sollicitos. Atque eandem omnino sententiam nono hoc carmine libri I. illustravit Horatius, neque quidquam magis certum esse mihi videtur quam duo illa carmina et eodem tempore et de eadem re et ad eosdem amicos scripta esse,

Digitized by Google

antequam in Maecenatis amicitiam ipse esset receptus. Neque debuit postea quum carminum libros ederet dubitare, quin hoc quoque inter edenda reciperet, quum quae, sua mens ac voluntas olim fuisset publico documento iterum palam fateri vellet; omnem spem in divina se potestate posuisse, alienum semper fuisse ab omni renovandi belli novarumque rerum studio. *Puerum* autem appellat thaliarchum aequalem; ipse enim a. 713 viginti quatuor annos natus ex Romanorum consuetudine *puer* fuit, praesertim in eius modi carmine, quo quid dulcis iuventa a morosa senectute differat ostendatur. Deinde *Sabina diota* si cui villam Sabinam Horatii ostendere videretur, ut simul serioris aetatis indicium sic sibi persuaderet reperisse, is credo magnopere erraret. Sabinum enim vinum mediocre utique erat (cfr. *Beckeri* liber qui inscribitur *Gallus*. T. II. p. 173); ideo *benignius* etiam promi poterat. Neque id me movere potest, quod alii ante a. 724 vel 725 negant Horatium fecisse carmen Alcaico metro compositum. Ut vel largiar, in cunctis Horatii carminibus quae ad nos pervenerunt superioris anni ne unum quidem indicium reperiri, quid inde lucrantur adversarii? An vero illud quum probabile videatur, hoc quoque est, uberrimum poetae ingenium usque ad annum aetatis 35 vel 36 a perfectissimo metrorum genere prorsus abstinuisse? Credant alii, neque quidquam opinor nos prohibebit, quum ex tribus carminum libris alicui carmini superioris anni nota impressa videatur, quominus ab iuvene Horatio scriptum id esse credamus.

II.

Carmen I, 16.

P a l i n o d i a.

Nequidquam quaerere eos qui in Epodis *criminosos iambos* ab Horatio recantatos reperire velint, tam certum mihi

Digitized by Google

quidem est, ut *Frankium* (Fasti Horatiani. 1839) p. 153 vehementer debeam mirari, quippe qui Canidiam significari etiam post Orellium confidenti quadam asseveratione affirmaverit. „At vero, inquit, huic spoponderat quodammodo deprecationem lyricam epod. 17, 49.“ Bene, quod dixit *quodammodo;* nam sincere ac simpliciter non spopondit. Versu enim 39 nihil nisi paratum se esse dicit laudare pudicitiam eius et probitatem. Quod quam distet a sponsione non est quod dicam. Scilicet totum illud carmen irrisione et *εἰρωνείᾳ* refertum est. Deinde vide, quaeso, num haec quoque aliquid valeant ad refellendam illam opinionem. Dicunt epod. 17 scriptum esse circa a. u. 722, aetatis Horatii 33, aut si Frankium l. l. p. 136 sequeris anno demum 724. Hac autem palinodia criminosos iambos ita excusat, ut iuvenili quodam fervore ac furore scriptos esse dicat: v. 22

me quoque pectoris
Tentavit *in dulci iuventa*
Fervor et in celeres iambos
Misit *furentem.*

Cum quo loco velim conferatur locus carm. III, 14, 27

Non ego hoc ferrem *calidus iuventa*
Consule Planco.

Habemus igitur, quo fere tempore calidum se fuisse aetate ipse profiteatur. Munatius enim Plancus consul fuit a. u. c. 712, quo anno Horatius aetatis egit annum vicesimum tertium. Quo fit, nisi vehementer fallor, *criminosos iambos* eodem fere tempore scriptos fuisse ut credam; i. e. circa annum u. c. 713—715. Iam quaero, num consentaneum videatur, carmina hic significari in Canidiam scripta, quae ipsi adversarii orta esse affirmant anno demum 718 vel 720. Nam quum criminosi hi iambi ab Horatio annum fere aetatis vicesimum quartum agente facti fuisse videantur, palinodiam decimo demum anno post compositam esse quis est qui sibi persuadeat? Profecto ea quidem iusto diutius dilata esset. Quam ob rem hoc quoque carmen I, 16 eidem anno 714 vel 715 haud cunctanter tribuendum esse censemus. Illud autem rectissime vidit *Wuellner* (comment. de aliquot

Digitized by Google

carminibus Horat.) p. 5, gravitatem et magnificentiam in hoc carmine non veram sed affectatam et adscitam esse; nempe redundat carmen irrisione et contumelia. Quapropter haudquaquam consentio cum *Duentzero*, qui acutius quidem quam verius p. 150 *Galateam* carminis III, 27 hanc amicam esse suspicatur. Ceterum de *Canidia* cf. *Cahn* triad. quaest. Hor. p. 22 sqq. —

Restat tamen ut ostendatur quae sit *dulcis iuventa. Ianius* ad h. l.: „dulcis, inquit, amori apta; quam querimoniis acerbare nefas. Subtilius de musto fervente cogitat Gesner." Verum quum in hoc epitheto excusatio cernatur, quid ea interpretatio ad intelligendum locum facit? Quapropter fuerunt qui correctione opus esse crederent: *indulci*, *heu dulci*; quo perversius nihil potest inveniri. Non multo melius *Orellius:* „in iuventa, quae vel propterea grata nobis est, quod per eam animi impetus libere sequi nobis licet." Iam si licet, cur excusat poeta? Mira sane excusatio. Aliter *Duentzer* p. 148: „in süßer Jugend, in der schönen Jugend, wo Alles so sehr zum Herzen spricht." Hoc quoque alienum a loci necessitate videtur. Sed sicuti Od. I, 37, 11 *dulcis fortuna* ea appellatur, quae efficiat saepe, ut nesciant homines quid faciant, ut securi in diem vivant, quippe qui non fortunae solum dulcedine sed oculis simul ac mente capti sint; sic *dulcem* iuventam eam esse patet, quae sua dulcedine tam obstrictos teneat homines, ut omnium aliarum rerum securi omnia sibi licere *putent* suaeque indulgeant temeritati. Leves autem et calidi quum esse soleant iuvenes, *dulcis iuventa* alia non est nisi aut levis aut calida aut levis simul et calida. cf. Virg. Georg. IV, 565 *audax iuventa*, et Horat. Sat. I, 3, 139 *dulces amici* i. e. indulgentes, qui ignoscant si quid erit peccatum. ibid. I, 4, 135. Recte igitur Porphyrio: „iracundia *calore* iuventae magis accensa incitavit in iambos." Itaque in lectione codicum conquiescendum puto neque locum coniecturis tentandum; quamquam haud ita difficile esset coniicere *in calda iuventa*; de quo vocabulo cf. Cic. de invent. II, c. 9. Quintil. I, 6, 19. Horat.

Sat. I, 3, 53. epist. I, 3, 35. Od. III, 27, 70; et simillimus locus Claudiani de bell. Get. 498

calidae rapuit te *flamma iuventae*,

in quo loco quae *flamma* est, apud Horatium est *fervor*. De *celeribus iambis* vid. Doederl. Syn. T. II. p. 124.

III.

Carm. I, 21, 14.

Pestemque *a populo et principe Caesare* in
Persas atque Britannos
Vestra motus aget prece.

„Scaliger delendum censuit *et*, ut sit non tam *dum Caesar est princeps*, quam *propterea quod princeps est Caesar*, suntque similia Epp. II, 1, 156. Od. III, 14, 14. IV, 15, 17. Sed Codd. lectio teneriorem praebet sensum, quia Caesar ita cum populo Romano artissime coniungitur.“ Sic *Orellius*; et bene quidem ex auctoritate codd. et veterum editionum. Ex recentioribus *Mitscherlichius*, *Braunhardus*, *Peerlkampius* Scaligerum male secuti sunt. Nam is frequens usus est Horatii, ut particulis *et* et *que* universis rerum generibus singulae partes vel res subiiciantur. Veluti

Od. I, 3, 9 Qui vidit *mare turgidum et*
Infames scopulos Acroceraunia

Od. I, 4, 1 grata vice *veris et Favoni*

ibid. I, 8, 16 ne virilis
Cultus *in caedem et Lycias* proriperet *catervas*.

ibid. I, 17, 6 *arbutos*
Quaerunt latentes *et thyma*

ibid. I, 17, 11 *Valles et Usticae cubantis*
Levia personuere saxa

nam Ustica erat vallis prope Horatii Sabinum. Deinde

ib. I, 34, 13 Valet *ima summis*
Mutare et insignem attenuat deus
Obscura promens.

Digitized by Google

II, 2, 21 *regnum et diadema tutum*
II, 6, 21 *Ille* te mecum *locus et beatae*
Postulant *arces*
II, 9, 20 Cantemus Augusti *tropaea*
Caesaris *et rigidum Niphaten*
II, 14, 26 *Absumet heres Caecuba* dignior
Servata centum clavibus *et mero*
Tinget pavimentum
III, 5, 34 *erit ille fortis*
Qui perfidis se credidis hostibus
Et Marte Poenos proteret altero cet.
IV, 5, 30 *Condit* quisque *diem collibus in suis*
Et vitem viduas *ducit* ad arbores.
IV, 6, 15 *Troas et* laetam *Priami* choreis
Falleret *aulam*
IV, 7, 3 *Mutat terra vices et* decrescentia ripas
Flumina praetereunt.

De particula *que* cf. Od. I, 7, 18. 15, 34. 16, 20. 28, 5. 35, 32. III, 3, 43. 22, 5. *)

Eadem igitur est horum verborum ratio: *a populo et principe Caesare*; nam princeps Caesar ex populo Romano unus est et praestantissimus, singulari appellatione dignissimus. Unde quum sequatur Orellium rectissime codicum auctoritatem tutatum esse, tum quid iudicandum sit de novo interpretationis genere apud *Duentzerum* p. 44 cuique credo apparebit. Legimus enim ibi: „es (*et*) ist jedenfalls beizubehalten und zu verbinden a populo et in Persas atque Britannos; principe Caesare ist ein absoluter Kasus." Quod genus num per linguae latinae naturam et versus rationem possit tolerari, doctissimus vir videat ipse. Neque enim magis placet quam si quis velit duabus ut aiunt sedere sellis. Ex iis autem locis quos supra transcripsi huic de quo agitur simil-

*) Quid de usu particulae *que* apud Horatium *Seebodius* in Schol. ad Q. H. Fl. (Gothae. 1839) p. 24 sqq. docuerit, quum libellum nisi ex Iahnianis Annalibus philol. 1840. 3. XXVIII. 3. p. 261 sq. non cognoverim, me nescire doleo.

Digitized by Google

limus est locus IV, 6, 15; neque diversum esse puto genus carminis secularis stropharum XII et XIII.

IV.

Carmen I, 24.

Ad Virgilium.

Praestantissimae consolationis ad Virgilium de morte Quinctilii amici quum de argumento ab interpretibus eleganter et recte disputatum sit (cf. argum. *Ianii* et *Duentzeri* librum p. 57 sqq.), in singulis tamen locis dubitandi spatium amplissimum videtur esse relictum. Et primum quidem *Duentzer* inde a versu quinto ipsam Melpomenam ex antiqua ratione canendi munus suscipere defendit. Quae quidem opinio quum ipse non addiderit quibus rationibus fulta videatur, profecta fortasse est ex *praecipe* imperat. et *ergo* particula. Alias enim causas ego quidem, quotiescunque carmen legi et relegi, non possum reperire. Illae autem quam non habeant ullam comprobandi potestatem quis est qui non videat? *Praecipe* imperativus sicut totum exordium vel invocatio musae magnitudinem doloris moerorisque acerbitatem ita prodit, ut Horatius minorem se ipse habeat quam qui tanto homine dignum θρῆνον possit canere. In auxilium vocat musam; nihil amplius. Prima stropha splendidus quidam aditus est qualis eadem primi carminis libri III; per quem aditum admissus poeta rem ipsam statim aggreditur: *ergo Quinct.* cet. Quae particula quid habeat necopinati doloris eleganter senserunt *Ianius* et *Orellius*; subitam enim et vehementem admirationem per se significat illa, dolorem loci natura addit. Cf. *Heinrich.* ad Iuven. I, 3. p. 30. Exempla sunt *Propert.* I, 1, 15. (edit. Paldam.) II, 8, 13. II, 15, 15. III, 2, 29. III, 6, 1, qui locus egregius

> *Ergo* sollicitae tu causa, pecunia, vitae es
> Per te immaturum mortis adimus iter

et initium elegiae 23 libri III

Ergo tam doctae nobis periere tabellae
Scripta quibus pariter tot periere bona.

Virgil. Aen. VI, 456. *Stat.* Silv. I, 2, 24. III, 2, 127. 3, 192. IV, 8, 20. *Martial.* X, 44, 3.

Quinte Caledonios Ovidi visure Britannos
Et viridem Tethyn Oceanumque patrem:
Ergo Numae colles et Nomentana relinques
Otia? nec retinet rusque focusque senem?

Iam vero praeterquam quod toto carmine ipsius deae Melpomenae ne vestigium quidem videtur deprehendi, idoneae satis ac firmae causae sunt, quibus id ne voluisse quidem Horatium facile credo perspicitur. Non enim tale hoc est carmen, quale III, 3, quod et medium et extremum divinam vocem a poeta fictam insigniter prodit; sed si quis ipsum quod Melpomenae esse dicitur carmen accuratius legerit, magnam eius et maximam partem a musa ad Virgilium dici ne potuisse quidem intelliget. Quid? Dea si qua additur moerenti amico consolatrix, num his ea consolandi rationibus et argumentis potest uti? Frustra pietatem ab illo servatam, frustra deos ab illo cultos, frustra precibus et piis votis ingratos prope ab illo vocatos num potest clamare quae dea est ipsa? Desperantis ea est vox hominis, quid sibi et moerenti amico deorum quadam iniuria ereptum sit aegro animo sentientis. Deinde quis credat deam loqui, quum qui loquatur eum videamus subito praematurae mortis nuntio oppressum et iacentem? Homo est tristitiam non continens, cuius querela erumpit: ergo is quoque mortuus est. Sed quid plura dicam? Totum carmen amicum decet, deam non decet: quapropter Duentzeri opinio paulo praestare videtur *Sigonii* fictioni, qui eo usque perversitatis pervenit, ut dialogum esse putaret carmen inter Virgilium et Musam, nimirum ut *Virgili* vocativus v. 10 vulgari et contrita ratione intelligeretur. *) Iam

*) Non magis potest laudari quod *Duentzer* p. 378 carm. IV, 15 a versu 4 *Tua Caesar* cet Apollinis carmen esse affirmat. Vellem

vero ne ea quidem quam constans sibi Duentzer excogitavit interpretatio versus 11 poterit stare. In quo quum verba *non ita creditum* cum Lambino Torrentio aliis sic intelligeret: nicht so dir anvertraut, ab illis tamen in addenda relativa sententia recedendum sibi putavit. Hanc enim ait esse sententiam: poscis Quinctilium deos, qui non ita eum tibi dederunt, ut facultatem simul repetendi eius tibi concesserint. In quo loco id maxime probari nequit, quod V. D. particulae *heu* non satis videtur rationem habuisse. Continet enim illa sententia aliquid vituperationis; exprobrare videtur nimium dolorem qui dicit amicum non ita datum esse amico, ut repetere ereptum liceat. Quod quidem ipsum quum musa possit dicere, in eo tamen magnopere equidem haereo, quod, facultatem illam datam non esse quomodo lugere ea simul velit, non assequor. Omnino autem in addendis relativis sententiis magna adhibenda cautio est, ne temere addentes interpretationis quodam artificio naturam loci perdamus. Quare quod simplicissimum idem verissimum esse recte habetur. Sponte autem verbis *non ita creditum* addimus *ut factum est;* quod quid sit, sententia docet, non hic solum sed ubique. Ut enim verba *frustra pius heu* faciunt, ut nihil aliud videatur posse intelligi nisi *non ita creditum ut factum est* h. e. *ut tam mature tibi eum eriperent* *), sic simillima est recta alius loci interpretatio. Est autem Carm. I, 3, 1 sqq., ubi eadem facilitate addendum videtur *ut opta-*

---

dixisset nobis vir doctissimus, ubi Apollo finem cantui imponere videretur. Nam si totum carmen deo tribuendum est, quid fiet de versu 25 *nosque* cet. . . *cum prole matronisque* etc.? Et si v. 24 Apollo canere desinit, quomodo subito poeta carmen continuare putandus est? An poetam censet V. D. iam v. 17 adesse? Ita videtur, sed diserte non dixit. Verum eius sententiae socios non facile credo adipiscetur.

*) Sic *Frankio* quoque p. 67 satisfactum puto, qui haec verba ut carm. I, 3, 6 respiciant δεικτικῶς accipiantur necesse esse opinatur „et ad certum quoddam factum referantur." Recte quidem δεικτικῶς, sed non eo quo ipsi placuit modo.

Digitized by Google

mus; Orelliana enim ratio nescio quas habet minas haudquaquam ferendas. Cf. *Claudian.* de nupt. Honor. et Mar. v. 236

Sic Triviam Latona monet, *sic* mitis in antro
Mnemosyne docili tradit praecepta Thaliae.

sc. ut illa fecit; et id. epigr. 38 in Iacob. magistrum:

Per cineres Pauli, per cani limina Petri
Ne laceres versus dux Iacobe meos;
Sic tua pro clypeo defendat pectora Thomas
Et comes ad bellum Bartholomaeus eat,
Sic ope sanctorum non barbarus irruat Alpes,
Sic tibi det vires sancta Susanna suas cet.

sc. ut tu illud facis quod volo. In quam rem addo extrema eius epigrammatis verba:

Sic nunquam hostili maculetur sanguine dextra
Ne laceres versus dux Iacobe meos.

quae verba quid Claudianus velit clare ostendunt. cf. Virgil. Bucol. 9, 30. 10, 5, ubi relativae sententiae munere imperativus *incipe* fungitur pro *sic* . . *ut incipis.*

Hac igitur ratione quum Horatium intellexerimus, manifestum erit quid sit *frustra pius.* Etenim de pietate in amicum ea dicta esse non magis persuasit Duentzer; probo Orellium. Pietas eadem est quae in aliis quoque locis, ut

Od. IV, 7, 24 non te restituet *pietas*
I, 17, 14 Di me tuentur, dis *pietas* mea
Et musa cordi est.
II, 14, 2 Labuntur anni nec *pietas* moram
Rugis . . . afferet.

cf. Ovid. Am. III, 9, 37

Vive *pius*, moriere *pius*, cole sacra, colentem
Mors gravis a templis in cava busta trahet

Pii autem diis cari sunt et amici; pios igitur maior spes est moturos precibus deos, unde Ovid. Met. VIII, 725

Cura pii diis sunt et qui coluere coluntur

Et tamen quamquam pius est Virgilius, mortuum amicum in vitam dii non reducent; est igitur ille frustra pius. Sic intelligitur particula *heu.* Totum autem carmen quum ita

Digitized by Google

contemplamur, absolutum omnino est et perfectum; nam quum Horatii tristes querimoniae usque ad medium versum (v. 10) vehementer auctae ingens damnum, quod praestari non possit, et singulares virtutes defuncti amici dulcissimo moerore descripserint, tota altera pars superiori contraria est: luctum igitur iustum sed tamen irritum esse; calamitatem patienter ferendam. Et quisquam dubitavit, quin optima haec sit ratio consolandi?

Iam reliquum est ut de v. 13 dicendum videatur. Ibi enim in multis codicibus memorabilis est lectionis varietas eaque, nisi animus me fallit, immerito nunc neglecta: *quid si* et deinde *num vanae redeat* . . . Olim ea probata est a *Lambino*, *Heinsio*, *Bruto*, *Cuninghamio*, *Sanadono*, *Baxtero*; etiam a *Commentatore Cruq.*; nam Cruquius ipse inter poetae verba alteram *quodsi* recepit, quamquam in adnotationibus *qui si* scribendum coniecit. Post *Gesnerum*, qui *quid? si . . . non* scribi iussit, in omnibus quas vidi editionibus *quodsi* legitur. Et *Ianius:* „Mihi quidem, inquit, quod aiunt, interrogationem vividiorem facere locum, id ipsum displicet; nam molliorem esse sententiam minusque offendere potuisse moestum Virgilium, si sine interrogatione instar querelae efferatur, plane sentio.“ At vero ego quoque molliorem sententiam in mollissimo carmine longe praeferendam esse arbitror. Ubi vero lenitas orationis interrogatione laeditur? Quid, quod augeri etiam illa mihi videtur, quum verecunde et cunctanter num in vitam possit mortuus amicus lyricorum carminum blanditiis revocari interrogatur magis, quam acerba negatione nunquam id fieri posse frigide ac dure monetur? Ea igitur dubitatio me nunquam movebit, nisi forte *Orellii*, gravissimi viri, contraria opinio latinitatis specie firmata maiorem habet auctoritatem et veritatem. Scripsit autem Orellius haec: „*Quid? si* cet esset excitantis: *Quin pulsas lyram?* post quam adhortationem exspectares: fortasse amico vita redibit; neutiquam vero: non vanae cet.“ Videndum igitur, quid suadeant exempla Legitur apud

Digitized by Google

Plaut. Rud. II, 5, 14

Apponam urnam ego hanc in media via.
Sed autem *quid, si abstulerit* quispiam?

Horat. carm. III, 9, 17

Quid, si prisca redit Venus
Diductosque iugo cogit aëneo?

id. Sat. II, 3, 159

Quid, si quis non sit avarus?
Continuo sanus?

id. II, 3, 219

Quid, si quis gnatam pro muta *devovet* agna?
Integer est animi?

id. II, 7, 42

Quid, si me stultior ipso
Quingentis empto drachmis *deprehenderis?*

id. epist. I, 16, 8

Quid, si rubicunda benigni
Corna vepres et pruna *ferant?*

ibid. I, 19, 12

Quid, si quis voltu torvo ferus et pede nudo
Exiguaeque togae *simulet* textore Catonem?
Virtutem*ne* repraesentet moresque Catonis?

Virgil. Bucol. 10, 38

quid tum, si fuscus Amyntas?

ibid. 5, 9

Quid, si idem *certet* Phoebum superare canendo?

id. Aen. IV, 311

Quid, si non arva aliena domosque
Ignotas *peteres* et Troia antiqua *maneret?*
Troia per undosum peteretur classibus aequor?

ibid. V, 410

Quid, si quis cestus ipsius et Herculis arma
Vidisset, tristemque hoc ipso in litore pugnam?

ibid. X, 628

Quid, si quod voce gravaris
Mente *dares*, atque haec Turno rata vita maneret?

Ovid. Metam. I, 497

Spectat inornatos collo pendere capillos;
Et *Quid, si comantur?* ait.

Digitized by Google

ibid. IX, 328

Quid, si tibi mira sororis
Fata meae *referam?*

id. Am. I, 1, 7

Quid, si praeripiat flavae Venus arma Minervae?
Ventilet accensas flava Minerva faces?

Catull. 62, 38

Ut lubet innuptis ficto te carpere questu.
Quid tum, *si carpunt* tacita quem mente requirunt?

Propert. I, 9, 15

Quid, si non *esset* facilis tibi copia?

id. II, 9, 29

Quid, si longinquos *retinerer* miles ad Indos?

id. II, 17, 5

Quid, si iam canis aetas non *caneret* annis
Et *faceret* scissas languida ruga genas?

id. II, 34, 11

Quid, si non constans illa et tam certa *fuisset?*
Posses in tanto vivere flagitio?

Martial. I, 36, 3

Quid, si me *iubeas* Thalassionem
Verbis dicere non Thalassionis?

id. in praef. l. II.

Quid, si scias, cum qua et quam longa epistola negotium fueras habiturus?

id. II, 86, 7

Quid, si per graciles vias Petauri
Invitum *iubeas* subire Ladam?

id. III, 65, 10

Quid, si tota *dares* illa sine invidia?

id. III, 93, 20

Quid sarrire *si velit* saxum?

id. XI, 20, 5

Quid, si me Manius *oret*
Paedicem? faciam?

id. XI, 58, 5

Quid, si me tonsor, cum stricta novacula supra est,
Tunc libertatem divitiasque *roget?*
Promittam.

Digitized by Google

Stat. Theb. I, 136

Quo tenditis iras
Ah miseri! *Quid*, *si peteretur* crimine tanto
Limes uterque poli cet?

ibid. I, 161

Quid, *si* Tyriae Phrygiaeve sub unum
Convectantur opes?

id. Silv. IV, 9, 48

Quid, *si* cum bene mane semicrudus
Illatam tibi *dixero* salutem?
Et tu me vicibus domi *salutes*?
Aut cum me dape iuveris opima,
Exspectes similes et ipse coenas?

cf. Markl. ad Stat. Silv. V, 1, 8. — V, 1, 140. II, 6, 21. *Cicero* ad *famil.* VI, 4 „*quid*, *si* hoc *muto*?" — id. de *fin.* V, 14, 40 „*Quid*, *si* non sensus modo ei *sit* datus, verum etiam animus hominis? *non* necesse est et illa pristina manere ut tuenda?" ad q. l. *Goerenzius* saepe *quid si* in *quodsi* mutatum esse ait et laudat Cic. off. III, 23, 5. fin. II, 24, 79. cf. eundem ad fin. II, 34, 114. Praeterea conferendi sunt loci *Cicer.* pro *Rosc. Am.* 31, 86 „Quid, si accedit eodem, ut tenuis ante fueris?" id. Nat. D. I, 29 „*Quid*, *si* etiam falsum illud omnino *est*? tamen*ne* ista iam absurda defendes? id. pro *Ligar.* 7, 23 „Recepti in provinciam non sumus. *Quid*, *si essetis?* Caesar*ine* eam tradituri fuistis?" id. *ad* Att. II, 1, 6. „*Quid*, *si* etiam Caesarem . . . *reddo* meliorem? *Num* tandem obsum rei publicae?" id. *Tuscul. Disput.* I, 8, 17 „*Quid*, *si* te *rogavero* aliquid? *Nonne* respondebis?" ibid. I, 11, 25 „*Quid*, *si maneant?*" — Quibus locis bene adduntur tres Horatiani, quibus, si recte eam rem intelligo, quomodo illa sit constructio exorta planum fieri potest. Hor. Carm. III, 24, 33

Quid tristes querimoniae,
Si non supplicio culpa reciditur?

et Epod. 17, 60 sqq., ubi scribendum videtur:

Quid proderat ditasse Pelignas anus
Velociusve miscuisse toxicum,
Si (al. *sed*) tardiora fata te votis manent?

Digitized by Google

et Sat. I, 3, 94 „*Quid faciam*, *si* furtum *fecerit*?" Sic apud Virgil. Bucol. 3, 74 „*Quid prodest*, *si* cet." cf. Aen. XI, 705.

Ac primum quidem intelligitur duplicem illorum locorum esse rationem; altera eorum est, in quibus post interrogantem enuntiationem *quid*, *si?* iterum interrogatur; altera, in quibus postea aut simpliciter respondetur (ut Mart. XI, 58, 5) aut responso tacite intellecto in oratione pergitur. In qua re id tamen tenendum est, ibi quoque ubi interrogationem interrogatio excipiat ipsa altera interrogatione dari responsum; id autem quale sit modo et forma verbi significari. Nam ubi imperfectum est coniunctivi modi, id quod indicatur interrogando fieri non posse perspicitur (ut ap. Cic. pro Ligar. 7, 23); ubi praesens indicativi modi aut coniunctivi, fieri illud aut posse certe fieri (ut Cic. ad Att. II, 1, 6. Stat. Silv. IV, 9, 48) aut fieri id posse cogitari (ut Cic. de fin. V, 14, 40). Itaque diversa est particula quoque interrogans, si qua est in altera interrogatione; aut *num* aut *ne* aut *non* vel *nonne*. Deinde si quis quaerat quomodo id genus constructionis factum esse credamus, manifestum est quum pronomen *quid* non habeat quo excipiatur, omissum esse unum alterumve vocabulum, quod sponte intelligatur. Veluti quum apud Ciceronem l. V. de fin., prope eum locum quem supra transcripsi, legimus: „At vero si ad vitem sensus accesserit, ut appetitum quendam habeat et per se ipsam moveatur, quid facturam putas? an ea cet?" nonne ea ipsa sententia quum per se esset posita, illo breviore modo dici posset: Quid, si ad vitem sensus accesserit, ut . . moveatur?" Intelligendum igitur in eius modi sententiis erit: quid *fiet*, *erit*, *sit*, *esset*, *expediret*, *expediat*, *putas*, *dicis*, *dicas* *), *diceres*, similia. Quae quum ita sese habere videantur, signum interrogationis duplex ponendum esse apparet ita ut supra feci, non ut solent „Quid? si . . fuisset, posses . . . flagitio?" Propert. II, 34, 11. — Iam vero ut

*) cf. Horat. epist. I, 16, 11.

ad Orellium redeamus, potest quidem illa constructio verborum excitantis esse et cohortantis, non debet; et ubicunque est, anxie tamen et caute est iubentis, qui utrum id quod velit fiat an non fiat penes alterum esse simul significat. Veluti Horat. Carm. III, 9, 17 „Quid, si prisca redit Venus.“ Contra ubi sequitur altera interrogatio quum praesertim modus verbi est coniunctivus, nihil ibi esse cohortationis aut excitationis neque esse posse non est quod ostendam. Erravit igitur vir doctissimus, neque iam video quibus causis fretus possit aliquis affirmare, non potuisse scribi ab Horatio

Quid, si Threicio blandius Orpheo
Auditam moderere arboribus fidem?
Num vanae redeat sanguis imagini,
Quam . . . compulerit Mercurius gregi?

Iam vero priusquam hunc locum mittam, brevissime dicam, quid de iudicio aliquo *Reisigii*, viri de antiquis litteris optime meriti, statuendum esse videatur. Is enim in praelectionibus de latina lingua habitis et a *Fried. Haasio* editis p. 367 sic habet: „sichtbar ist dieses in *quodsi* und wenn, welches bei Dichtern selten ist. Bei Virgil findet es sich nur selten; bei Horaz nur Ein Mal Od. I, 24, 13.“ quibus verbis Haasius addidit haec: „Nämlich das sorgfältige Anreihen an das Vorhergehende und das demonstrirende Weiterschließen, was in diesem quod liegt, ist gänzlich unpoetisch; so würde auch das deutsche folglich in keiner höhern Gattung der Poesie gebraucht werden können.“ At vero ut taceam, quantopere *Reisigium* de Horatio memoria destituerit, subiiciam locos poetarum etiam lyricorum, qui ab Haasio poetis fere ereptam particulam acriter defendant.

Catull. 14, 8. 15, 14. 42, 16. 64, 228 (ed. Tauchn.)
Tibull. I, 3, 53. II, 6, 7. III, 4, 77. IV, 1, 201 (*quod**) tibi *si*) IV, 5, 11 (ed. Tauchn.)

*) *quod* tibi *si*. Particulae interposita vocula sic separatae sunt ut apud Virgil. Bucol. 9, 39. „*quis* est *nam* ludus in undis?“ pro *quisnam* et Georg. IV, 445 *nam quis te* pro *quisnam te*. cf. Bentl. ad Terent. Ad. II, 3, 11.

Digitized by Google

Propert. I, 1, 7. 5, 9. 5, 29. II, 1, 17 (*quod* mihi *si*) 7, 15. 10, 5. 13, 31. 14, 17. 14, 37 (*quod* mihi *si*) 19, 19. 22, 29. 25, 13. 26, 37. 28, 25. 30, 31. 32, 61. III, 5, 41 (*quod* mihi *si*). 6, 43. 13, 33. 15, 21. 16, 13. IV, 9, 43 (ed. Paldam.)

Martial. II, 8, 5. 24, 7. III, 50, 9. 93, 23. VII, 38, 3. 68, 3. VIII, 64, 16. IX, 12, 8. XI, 80, 7 (*quodnisi* VIII, 30, 7) (ed. Tauchn.)

Stat. Silv. I, 1, 81. III, 1, 161. IV, 4, 24. V, 1, 66 (*quodnisi* I, 2, 134. *quodni* I, 3, 79) *Theb.* I, 266.

Lucan. Phars. I, 33. 114. II, 281 cet.

De *Horatio* videnda est adnotatio *Orellii* ad Carm. I, 1, 35, ubi nominantur hi loci: *Carm.* I, 1, 35. 24, 13. III, 1, 41. *Epod.* 2, 39, quibus addantur Epod. 10, 21. 11, 15. 14, 13 *) *Epist.* I, 1, 70. 2, 70. 3, 25. 7, 10. 25. 9, 11. 19 17. 20, 9. II. 1, 90 (ubi Orellius parum sibi constans *quod si* scripsit) II, 1, 241. In *satiris* mirum est eam particulam non legi nisi II, 4, 6, ubi quid Orellium alios commoverit, ut *quod si* non quod solerent *quodsi* scriberent, non assequor. Rectius vero divisit Orellius Sat. I, 1, 43 *Iahnum* non secutus.

Apud *Virgilium* neque in *Bucol.* neque in *Georg.* *quodsi* unquam legitur; tamen in Bucol. semel *quodnisi* 9, 14; semel idem in Georg. I, 155. In *Aeneide* quinquies *quodsi:* VI, 133. VII, 310. XI, 166. 357. 434., nusquam *quodnisi.*

Data occasione de particula *sin* pauca addam. Dicit enim *Bentleius* ad Epod. 1, 6 nunquam ea usum esse Horatium; et recte quidem; nam quod Epist. I, 5, 6 in edit. *Passow.* *sin* legitur, id non bene factum est. Orellius habet

---

*) Non audiendus Orellius, qui h. l. pro *quodsi* ex vestigiis codicis Bernensis *do* q' coniecit *quando* quod ibi latere putat. Sed *quando* multo magis languet quam *quodsi*; necessaria videtur adversat. particula. — Epod. 3, 19 cod. Sang. ap. Orell. *quodsi* habet pro *at si.*

Digitized by Google

si. Sed aliter Virgilius, apud quem saepissime *sin*: Georg. I, 432. 456, II, 195. 234. 276. 483. III, 179. 504. IV, 67 239. *Aen.* I, 555. II, 192. 676. VIII, 578. X, 33. 625. XI, 324. 419. XII, 187.

Cernitur igitur arbitrium poetarum; *quodsi* apud Horatium saepissime, rarius apud Virgilium; *sin* saepissime apud Virgilium; nunquam apud Horatium; ac tamen similes sunt particulae.

V.

Carm. I, 28.

Archytas.

Nuper quum virum antiquarum litterarum satis peritum, *Hanovium*, mira quadam ingenii sagacitate hanc quaestionem instituisse audiremus, Horatius parvusne esset poeta, forte quidem factum est, ut nos ipsi interrogaremus, quum Horatium summa in scribendo perspicuitate usum ad intelligenda carmina viam malis artificiis haud quaquam obstruxisse inter omnes constet, quomodo tamen in nonnullis carminibus illustrandis viri docti in alienissima quaeque potuerint discedere. Atque eius rei hanc nobis causam reperisse videmur, quod multi quidem qui legunt naturam et simplicitatem spernentes quaerentesque quem sequantur alium ducem nodos saepe, ut aiunt, in scirpo quaerunt aut mentis etiam acumine male utentes multo plus tribuere cupiunt Horatio quam quod ipse sive voluit sequi sive potuit. Ita nos vere iudicasse vix ullum est quod magis arguat carmen quam libri I. c. 28. Etenim nescio an in ullo alio viri docti magis ingenia exercuerint quam in hoc, quod tamen ipsum ne prave intelligatur, Horatius si quid video diligentissime voluit cavere. At vero nos ipsi ne quid temere agere videamur aut iustum ordinem invertere, praecipuas interpretum sententias proponamus in iisque quid boni malive videatur inesse indicemus oportet. Et omnes quidem, qui de hoc carmine scripserunt, in duas par-

Digitized by Google

tes dividuntur; sunt enim qui dialogum esse carmen arbitrentur, sunt etiam atque ii haud spernendi, qui unius tantum umbrae verba audire se putent. Ex illa parte sunt quod sciam omnes superiores et *Gerber*, ex hac praeter *Hottingerum* (vid. ap. Orell.) *Weiskius*, *Grotefendus*, *Peerlkampius*, *Orellius*.*) Nam quod *Casaubonus* quoque eandem secutus esse apud Orellium dicitur, id paulo aut negligentius aut callidius scripsit vir egregius, quoniam quod Peerlkampius suspicatus est, idem hic verum et indubitatum habuit. Itaque sententiam rogatus qui velit recte respondere, primum ei videndum erit, utram partem ipse laudet, deinde quum ne in ipsis quidem partibus homines inter se consentiant, quem in multiplici hac varietate viarum tanquam ducem tuto sequatur. Nam ut hi, qui unum tantum loquentem in hoc carmine audiunt, tantum abest ut idem omnes velint, ut alius Archytae (*Peerlkampius* et Ge. *Fabricius*. vid. Orell.), alius peregrini nescio cuius hominis naufragio exstincti (*Orellius*), alius ipsius adeo Horatii viventis tamen ac vigentis umbram (*Weiskius* et *Grotefendus*) in littore deambulantem ac declamantem aurium mentisque acie cernat; ita ne altera quidem pars magis inter se congruit. Agitur enim de loco, quo colloquentium alterum desinentem, incipientem alterum faciant; in qua re ita litigantur, ut plurimi ex antiquissima se sententia in septimo versu eum locum invenisse putent, Buttmannus vicesimum primum versum malit. Utut tamen dissentiunt, hoc certe adversariis praestant, quod quia priores etiam potiores tamdiu videbuntur quam ab illis rationum praestantia ac veritate loco cedere non coguntur. Unde fit, ut qui *Weiskii* sociorumque opinioni faveant, iis imposita sit necessitas duplex et improbandae prioris sententiae et comprobandae suae. Cui rei qua ratione satisfecerint examinantibus promtus nobis

*) Cf. *Gerber* in programm. schol. Sondershus. 1839. *Weiskius* in Iahni Annal. phil. et paed. 1830. XII. 1. *Grotefendus* in *Ersch* et *Gruber*. Encyclop. sect. I. P. X. p. 470. *Peerlk.* et *Orell.* in editt.

Digitized by Google

paratusque socius accurrit *Gerber* l. l. p. 20 sqq. Cuius ut vestigia premamus, initium quaestionis facimus ab *Orellio*; qui quominus duo in hoc carmine loquerentur, Archytae umbra et nauta, tres causas prohibere vidit. Primum enim ei displicet „quod nauta humanis sensibus utique praeditus Archytamque maximi faciens tamdiu ambigit, utrum pio officio defungatur necne, adeo ut umbra in minas prorumpere debeat.“ Quod quam non verum sit ostendere facile hic praetermittimus, quum praesertim infra sit ad eandem rem regrediendum. Optime autem, ut mea fert opinio, de nautae huius ingenio ac moribus iudicavit *Monichius* (Beleuchtungen Horazischer Lyrik. Schwerin. 1837): „Es kann wohl nicht in Abrede genommen werden, daß der Schiffer den Archytas bei aller seiner Wissenschaft für einen Mann hält, welcher füglich und klüglich etwas Besseres hätte thun können, z. B., durch eine vita quaestuosa sich Schätze erwerben.“ „Deinde, inquit Orellius, quomodo nauta ibi primum praetervectus scire poterat illud, quod in littore porrectum conspiciebat, Archytae corpus esse neque alius cuiuslibet?“ Verum enim vero hancce interrogationem a tanto homine potuisse interponi, cum Gerbero l. l. p. 20 non possum non mirari, quoniam qui in poetis talia quaerere velit, is ubi finem faciat quaerendi haud facile inveniet. Nam siquidem quod de *Schillero* (Räuber IV, 6) Gerber sumsit exemplum, id propterea minus accommodatum est ad refellendam Orellii interrogationem, quod et Brutus et Caesar umbrae sunt, umbrae autem corporum imagines referunt atque alter alterum ideo facile dignoscere potuit; ex ipso tamen Horatio non difficile erit, similes aliquas non minus molestas et importunas quaestiunculas movere. Veluti unde potuit scire Horatius, Gygen Orici a Chloe tentatum precibus eius non obsecutum? Adest ipse Horatius nostro respondendi munere fungens, quum art. poet. v. 9 dicat:

pictoribus atque poetis
Quidlibet audendi semper fuit aequa potestas.

Tertiam quam habet Orellius causam, petitam a v. 14 *iudice te*, quae verba ab Archyta dicta offendant „quasi vero ille nautae

Digitized by Google

de Pythagora iudicium appellare necesse habuerit", neque a Gerbero p. 21 neque ab aliis (est enim ea ab *Ianio* iam allata) refutata est; neque ego credo posse eam refutari; tam firmo nititur fundamento. Nolo tamen inde quid commodi capi ab Orellio, quum una ab defendendam illius opinionem non satis habeat firmitatis aut necessitatis. Sed quum postea de eodem loco dicendum nobis sit, nunc quidem ita Orellium mittimus, ut nemini nisi cui sit animus suspicionibus praeoccupatus de veritate suae opinionis persuasisse eum credamus. — *Peerlkampii* fictionem, ad quam transimus, paucos vel nullos socios reperturam cum Orellio nos quoque credimus. „Iacet, inquit, Archytas in littore, iam leviter arena deiectus, quam nonnulli praetereuntes ex religiosa consuetudine in ignotum cadaver proiecerant. Praeterit novus nauta, qui festinans officium humanitatis neglecturus esse videbatur, et praeterit tum, cum *Archytas secum loqui* desierat, dicens: Me quoque devexi cet. Ibi forma orationis mutata est, et dixit: *Me quoque* pro *Te quoque*, quod hic fuisset obscurum, quia statim ad nautam convertitur." Qua quidem ratione nescio an quid perversius possit excogitari; et rectissime Gerber p. 22 Horatium aegerrime laturum ait, si id sibi commentum affingi comperisset. Deinde ne id quidem verum est, quod corpus arena leviter tectum esse dicit; nam partim Horatii verba *parva munera* perperam intellexit, partim (ut scilicet falsam eam interpretationem veritatis quadam specie tueretur) aliena excogitavit. Quid enim? Nonnullos iam praeterivisse inque ignotum cadaver arenam iam proiecisse unde accepit vir doctus? Ab Horatione? Minime vero; is enim ne una quidem parvula vocula id factum significavit, immo contrarium se velle vix potuit clarius ostendere. Versibus enim 23 et 36 naufragus ille, quisquis est, petit ut nauta ter corpori suo pulverem iniiciat. Id autem, si leviter iam arena tectus est ab aliis qui praeteriverant, quonam consilio petit? Totumne ut tegatur corpus? Non dicam, nisi forte tum demum antiqui homines corpus sepultum esse credebant, quum totum ex omni parte terra contectum esset. Sed audiamus Acronem

Digitized by Google

ad v. 23: „nam et in sacris hoc genus sepulturae tradebatur, ut si non obrueretur, manu plena *ter iacta terra cadaveri pro sepultura esset* . . . Ideo etiam particulam arenae dixit.“ Umbrae enim ut stygias aquas possent transire (cf. Virg. Aen. VI, 325 sqq. 365. 374), ex iure gentium vetitum erat, ne quis ignotum etiam corpus, in quod incidisset, inhumatum relinqueret. cf. Tacit. Ann. I, 22 „Responde, Blaesi, ubi cadaver abieceris; *ne hostes quidem sepultura invident.*“ Quinctil. declam. 5, 6, quem locum vide apud Orellium ad v. 36. Festus s. v. praecidanea: „Porca . . mactabatur ab eo, qui mortuo iusta non fecisset i. e. glebam non obiecisset.“ Cicer. de legg. II, 12, qui docet *iniecta gleba corpus humatum esse* et *sepulcrum* vocari. Idem a Solone lege sancitum est. Cf. Wachsmuth hellen. Alterthümsk. II. Th. 2. Abth. S. 78: „Solon gebot einen unterwegs gefundenen Leichnam, wenn man nicht im Stande sei, ihn ganz zu bestatten, doch mit Erde zu bewerfen, et quos idem laudat Aeliani locos. Hoc ipsum neque quid maius significat *glebam iniicere*, quod quidem officium etiam festinantes praestare potuerunt. Id igitur mortuo homini sufficiebat, plura concupiscere non debuit. Quid ergo? Archytasne arrogantior est, ut quod aliis mortuis sufficiat, id ipse satis non habeat? Non est consentaneum; quapropter quum velit ter sibi arenam iniici ipse, *non* est sepultus, non tectus, ne ex parte quidem; ut quantumvis dubium possit videri, quae sint *parva munera pulveris*, ex his verbis nemo recte possit sepultum iam ex parte tamen Archytam perspicere. Nam quod Weiskius negat primam carminis partem intelligi debere ex ultima, id ita dictum est ut nescias, an non negandi magis libidinem quam veritatis studium secutus sit. Id profecto non curamus interpretes, quonam quid loco positum sit, neque utrum superior locus ad inferiorem an inferior ad superiorem facilius intelligendum videatur conferre aliquid, verum uter apertior sit propiusque accedat ad nostram antiquitatis scientiam. Nimirum quae ipsa obscura sunt, aliena luce collustrantur. Quam ob rem *Peerlkampii* rationem, quae praeter languorem etiam violatae

Digitized by Google

veritatis crimine laboret, semel abiiciendam censemus. Multo autem, si fieri potest, peiora somniavit *Weiskius*, quo si quis dedita opera miracula et portenta excogitare vellet, non posset is magis absona aut incredibilia reperire; ut nescias qui fieri potuerit, ut *Grotefendus* tam facile sibi imponi pateretur. Weiskius enim quum sibi persuadere non posset, Archytae naufragi corpus fluctibus in littus eiectum iacere inhumatum, quippe qui et in philosophia colenda et in re publica administranda et in bellis gerendis parem laudem meruerit, non Archytam putat loqui, sed Horatium, non vivum et spirantem sed mortuum et in ripa iacentem. Poeta igitur nescio quo casu ad littus Apuliae pervenit, ad Archytae tumulum fertur et desiderio tanti viri eiusque misero exitu tantopere abripitur, ut ipse olim in eodem mari naufragio paene exstinctus quod paene factum esset id revera factum poetico quodam furore fingeret. Se ipsum igitur mortuum cogitat, suam ipsius corpus e mari eiectum videt, suam ipsius umbram prope corpus insepultum errantem conspicit, eam ipsam ipse loquentem audit primo ad Archytam eodem modo in eadem regione tempestatis iniquitate oppressum iuxtaque sepultum, deinde ad praetervehentem forte nautam. Verum quid aliud est turgere, si hoc non est? quae potest longius a veri similitudine recedere imago? ad quam profecto nisi cogente necessitate apertissimisque indiciis prudenti interpreti non licet descendere. Neque quidquam esse credo, quod eam necessitatem videatur imponere. Ad illud enim, quod Archytas primis versibus sepultus esse dicatur, iam respondimus supra; deinde nescientibus nobis, quonam fato Tarentinus philosophus supremum diem obiverit, optime credo convenit in eo acquiescere quod Horatium significasse manifestum est. Tum vero quod nova quaerentem neque simplices verasque interpretationis leges sequentem Weiskium in manifestum errorem maxime illexerit, id est, nisi animus me fallit, pravum de moribus nautae iudicium; de qua re quid sentiamus supra iam indicatum est. Praeterea autem idem vir doctus aliis rationibus usus est, quas quum rectas beneque inventas esse

etiam contra Gerberi disputationem p. 27 sq. iudicamus, tamen non ita largimur, ut ad comprobandam illam fictionem vel minimum conferre videantur, sed ut nostram postea proponendam sententiam iisdem adiuvemus. Sunt autem illae sumtae ex v. 14 *iudice te*, ex v. 21 *me* quoque, deinde ex inaequali partitione carminis sive eos sequimur, qui septimo versu, sive qui versu 21 Archytam loqui incipientem audiunt. Quod quidem nostro nobis iure facere videmur, quoniam, quod statim intelligitur, nihil aliud illae rationes demonstrant, nisi quae adhuc erant dividendi carminis rationes improbari debere.

Iam absoluta hac altera parte disputationis, quae dialogi dissuasores complectitur, pervenimus ad eam sententiam, qua in dialogi formam hoc carmen ab Horatio redactum dicitur. Atque ea, quam reiecta altera nos quoque pro vera indubitataque habemus, ita dividitur, ut quum in initio carminis nauta loquens inducatur, alii alio loco Archytam respondentem faciant. Ipso autem discrimine supra indicato ad *Buttmanni* (Mytholog. T. II.) opinionem licebit transire. Is igitur, qui cum Ianio, Cuninghamio, aliis molestis illis verbis *iudice te* offenderetur atque in ea re, quod vv. *me quoque* videntur posse referri ad primi versus verba *Te maris* cet., Horatii consilium ac manum, quo utriusque partis fines auribus oculisque etiam ostenderentur, agnosceret, relicta veteri partitione ex Scylla in Charybdin decidit. Quidquid enim dicunt interpretes atque in iis etiam *Gerber* p. 21, quidquid afferunt causarum de magna qua floruerit Pythagoras auctoritate et fama, ut non a capitibus solum populi sed ab ipsa multitudine maximo honore haberetur, Archytam tamen philosophum Pythagoreum ignoto cuivis nautae, duro sane homini omnique bonarum litterarum sensu destituto eidemque maligno irrisori tale de suo magistro ac prope deo iudicium tribuere potuisse ut credam non adducor. Ita si philosophus loquitur, ad philosophum solum loquitur; sin alius verba sunt, non minus ad philosophum. Quae quum ita sint, non dubito, quin qui accurate de hac re cogitaverit omnesque et homi-

num et rerum conditiones caute ponderaverit, eum consentientem habeam, vv. *iudice te* Archytae omni ratione abroganda videri. *Buttmannus* igitur recte sensit, atque quae *Gerber* p. 28 scripsit ut probem tantum abest, ut nemo magis improbare possit. Scribit enim: „Besonders würde das iudice te als Apostrophe des Schiffers an den Archytas die größte Lächerlichkeit sein. Denn der Schiffer würde sich dadurch eine höhere Competenz in einer Sache beilegen, die doch Archytas auf jeden Fall besser kennen mußte, als ein fremder und gemeiner Mann." In qua re hoc primum animadverto, virum doctum non satis constantem apparere iudicem de nautae conditione et moribus. Quis enim cum illis haec congrua putet, quae leguntur p. 22: „Nimmt man übrigens mit Lenz *), daß der Schiffer kein roher Schiffsknecht sondern ein gebildeter Schiffsherr und Kaufmann war, so fällt Orelli's Bedenklichkeit ganz weg." Quae verba tecte quidem indicant, sibi quoque ea *Lenzii* verba placere. Deinde ne *peregrinus* (fremder Mann) quidem erat, quantum quidem colligi potest ex vv. 26—29, ubi nisi fallor Neptunus sacri custos Tarenti ideo nominatur, quod utriusque et Archytae et nautae πολιοῦχος deus erat. Verum quod maximum est, utinam vir doctissimus ostendat, qua ratione ex his verbis recte intellectis id possit elici quod ipse invenit! Qui ita loquitur ut nauta, num is suum iudicium alterius anteponit ad quem provocat? Quam ob rem verba *iudice te* nautae dari non modo posse sed debere mihi persuasum est. At vero ne plane in *Buttmanni* partes abeam, id ipsum facit, in quo praesidium idque firmissimum suae opinionis se habere putavit. *Weiskius* enim p. 356 cum eoque *Gerber* p. 28 optime affirmarunt, haec verba *me quoque* quum a superiore versu separari non possent, eidem tradenda esse cuius esset superior versus. Volunt enim nihil aliud nisi ut universam illam sententiam de necessitate moriendi ad ipsum Archytam

---

*) Epistola de Horatii oda 28 lib. I. ad fratrem Chr. Ludw. Lenz Gothae 1802. cf. Miscell. phil. ed. Matthiae. Lips. 1809.

Digitized by Google

referant: *omnibus moriendum est, ergo mihi quoque.* Quare quum vv. 20 et 21 diversis hominibus tribui non possint, *Buttmannus* iniuste fecit, quod Archytae sermonem a v. 21 incipere dixit. Tertium autem quod ab iisdem viris doctis contra *Buttmannum* disseritur, commemorationem illam heroum et philosophorum doctiorem videri quam quae cum nautae cultu et doctrina bene congruat, alter certe *Gerber* non vidit quam non conveniat cum illo epitheto quo nautam Horatianum exornandum existimavit: ein gebildeter Schiffsherr und Kaufmann. Quapropter eam causam magnam esse non credo, quamquam ne Buttmanni quidem opinionem stare vidimus. Restat igitur una tantum eaque antiquissima de partibus carminis opinio, cuius recentissimum propugnatorem eundemque acerrimum Gerberum iam nominavimus. Ac primum quidem non possumus non dubitare, quin quae ab Gerbero p. 15 sq. de dialogis apud Horatium deque interpellatoribus disputata sint, ex sermonibus in carmina lyrica minus recte translata videantur. In lyricis enim carminibus unum tantum aliud exemplum dialogi reperitur; dico carmen illud egregium l. III, 9; nam ne Epod. 5 quidem inter dialogos potest referri. Praeterea ne in hoc quidem satis accuratus fuit, quod *μονολογίας* naturam in gravibus animi affectionibus ponendam esse dixit idque exemplo Horatiano, Carm. III, 27, ubi Europa ab Iove rapta secum ipsa loquitur, probare studet. Quae res quam totam *μονολογίας* naturam non complectatur, quum multa aliorum poetarum exempla tum ipsius Horatii docent. Ut enim taceam verba Iunonis (III, 3), Reguli (III, 5), Hannibalis (IV, 4) aliorum, quae non tam ad se quam ad alios dicentium sunt, vera *μονολογία* est in Epod. 2, id quod ipse Horatius indicavit v. 67; deinde sic optime intellexit *Welcker* (Iahn. Annal. 1830. I, 1. p. 52. f. Orelli. ad h. l.) carmen III, 12, Neobulam ad se ipsam loqui. Veri similiter eadem ratio est carminis II, 5. cf. schol. Acron. et Cruq. Praeterea *Weiskius* quum inaequalem carminis partitionem exprobraret, haud quaquam temere fecisse nobis videtur, quoniam in hac ipsa re lyricorum carminum multo alia ratio est atque ser-

Digitized by Google

morum aut dramatici totius generis; ut in hac quoque re *Gerberum* p. 28 errasse credamus. Cui rei quum accedat gravis ex v. 14 petita causa, quam supra satis illustrasse nobis videmur, ne in hac quidem opinione consistendum novamque ad intelligendum carmen ineundam esse viam iudicamus.

Atque quum ex vv. *iudice te* liqueat, debere vers. 14 etiam nautae tribui, versum autem vicesimum propter artum quo cum insequenti coniunctus est vinculum Archytae adimi non posse manifestum sit, *efficitur, ut fines utriusque orationis inter hos duos versus quaerantur necesse sit. Atque ita nostra fert sententia, ut nautae sedecim primos versus, Archytae reliquam partem inde a versu 17 attribuendam esse censeamus.* Ita carmen quum novem strophas complectatur, ex quibus nautae quatuor, quinque Archytae sunt, in duas aequales partes dividitur. In qua re velim animadvertatur, si vere *Meineccius* in strophas quatuor versuum hoc et omnia similia carmina partitus est, *Gerberum* ita finem facere orationi nautae, ut altera stropha ipsa iterum in duas partes distrahatur; id quod veri simile non est. Atque eadem causa est, cur quum totum carmen compositum sit ex triginta sex versibus, nautae oratio, quo accuratius observaretur versuum numerus, non potuerit consistere in versu 18. Quamquam si quis cum Peerlkampio vv. 19 et 20. Horatio abiudicandos putaret, Meineccii autem de strophis doctrinam non magni aestimaret, deinde ex nostra ratione carmen divideret, is ipso medio carminis versu fines utriusque orationis haberet. At vero quum Peerlkampius quod debuerit non effecerit, tum duo illi versus nobis vel necessarii videntur; et quod dicit latine scribendum fuisse *nullum caput Proserpinam fugit*, id vereor ne acutius dictum sit. Horatius enim hoc vult: Nullum caput tantum, nemo tam gravis est, quem Proserpina i. e. mors fugiat, timeat, ad quem mors non accedat *) Iam ut in versu 16 finem

*) Hanc rectam interpretationem iam apud Porphyrionem invenio. Iam ne ullus dubitationi locus relinquatur, conferatur Lucan. Phars. II, 75 „*Mors ipsa refugit saepe virum* (Marium).“

Digitized by Google

orationi nautae imponamus multae praeterea suadent rationes. Primum generalis sententia *Et calcandae semel via leti* post prolata nonnulla eiusdem rei exempla desinendi aliquod indicium ipsa habet, quoniam quae subiiciuntur reliqua exempla eiusdem hominis esse non possunt. Nam praeterquam quod saepius Horatius hoc sequitur consilium, ut prolatis aliquot exemplis additaque generali sententia rem ut absolutam relinquat ad aliamque transgrediatur (cf. carm. I, 17, 13. II, 3, 25. II, 10, 5. 21. II, 13, 19. III, 16, 17. III, 7, 19. IV, 9, 29. vid. etiam *Duentzer.* l. l. p. 15), versus etiam 17—20 omnino diversam naturam produnt. Superiora enim exempla ostendunt Tantalum, Tithonum, Minoem summis etiam honoribus magnisque fortunis non potuisse liberari a necessitate moriendi, idque ita ostendunt, ut acerbitatem et contumeliam non excludant optimeque deceant hominem qualem nauta toto carmine se praebet; inferiora contra quum communem illam omnium mortalium conditionem ita magis describant, ut consolandi gratia commemorata videantur, Archytae esse perspicuum est. Unus autem utrisque exemplis uti non potuit; quae ratio et in eos est qui μονολογίαν carmen esse defendunt, et in utramque distribuendi rationem.*) Ceterum ne id quidem praetermittendum puto, mea si comprobetur ratio, haud temere factum videri, quod nauta exemplis afferendis octo versus, Archytas quatuor tantum compleat; nam illius erat in communis sortis humanae miseria describenda cum delectatione quadam morari; neve versus 17—20 eiusdem cuius sunt superiores esse quis credat, eo etiam Horatius cavisse videtur, quod inde ab illo versu iis significationibus mortis usus est, quae virum et morum probitate et animi cultu praestantiorem deceant; sunt enim illae sublimiores, ad poeticam orationem propiores, petitae ex mythologia

*) *Cruquius* iam observavit, Archytam allatis his exemplis Tantali, Minois, reliquorum oblique tantum respondere: „verum haec, inquit, non est directa responsio ad ea quae nauta visus est improbare.“

et sacris. Accedit ut vv. *exitio est avidum mare nautis* non sine consilio aut quadam acerbitate dicta sint; leviter enim admonet nautam, ipsi quaque mortis periculum imminere, quum praesertim eodem quo hic sermo habeatur tempore in mari versetur. Et omnino ab hoc ipso loco ira nusquam celatur atque adeo v. 23 clare indicatur; *malignum* enim tantum abest, ut non *malevolum* cum Orellio existimem, ut etiam malevolo peiorem esse credam. Cf. Carm. II, 16, 39 *malignum vulgus* quo loco ipse *Orellius* optime interpretatus est: „*invidum* atque *iniquum plerumque in eos, qui in qualicunque genere excellunt*;“ quamquam ad Sat. I, 5, 4 malignos caupones iterum parcos habet. Ex hoc maligno vulgo nautam esse tota carminis natura suadet. Iam v. 26 Archytae animus iniuriis laesus videtur; nam precari et polliceri cui bono, nisi si nauta durum ante et humanis sensibus exutum se praestiterit? Quid? Minae etiam quae adduntur nonne improbitatem istius et malitiam clarissima luce circumfundunt? Iratus igitur est Archytas, atque iratus propter convicia, quae in se tum tecta tum aperta coniici audivit. Supra iam diximus idem de hoc homine iudicium factum esse a *Gerbero* eumque propterea magnopere laudamus; nam dici non potest, quanta hic caecitate *Orellii* acies oculorum obscurata fuerit. *Gerber* p. 17 „Ich finde in derselben (der Anrede) eine Art von spöttischer Schadenfreude, den gewöhnlichen Characterzug gemeiner Seelen, die in der Bemerkung, daß die im Leben Hochgestellten wenigstens im Tode kein Vorrecht vor den Niedern haben, eine Art von Trost finden.“ Ita demum intelligi potest irrisionis et contemtionis et malitiae plena compellatio: *numero carentis arenae mensorem*, quoniam pulverem vel *arenam* numerare v. *metiri* proverbii instar fuit de re supervacanea et ridicula. Apud Orellium laudatur *Schrader*. Emendatt. p. 7, quem quum consulere non possim, apponam quae apud *Erasmum* Adag. Chil. 1 cent. 4, 44 leguntur: *ἄμμον μετρεῖς* i. e. arenae modum quaeris; hoc est rem infiniti laboris atque inexplicabilem inceptas, aut *frustra conaris, quod nequeas efficere.*“ Et ibid. 45 *κύματα μετρεῖς*

Digitized by Google

i. e. undas numeras. Eundem cum proximo sensum habet. Virgilius utramque paroemiam eleganter attigit libro Georg. II (104)

neque enim numero comprendere refert,
Quem qui scire velit, Libyci velit aequoris idem
Discere quam multae Zephyro turbentur arenae *)
Aut ubi navigiis violentior incidit Eurus,
Nosse quot Ionii veniant ad littera fluctus.“

Theocritus in Charitibus (XVI, 60)

'Αλλ' ἶσος γὰρ ὁ μόχθος, ἐπ' ἀόνι κύματα μετρεῖν,
Ὅσσ' ἄνεμος χέρσονδε μετὰ γλαυκᾶς ἁλὸς ὠθεῖ

Deinde ne quis omittat grave hoc: nec quidquam tibi *prodest* Aerias *tentasse* domos *animoque* rotundum *percurrisse polum*.“ Quod nisi maligne dictum est, nihil est; suam enim mercatoris quaestum sequentis omniumque rerum dignitatem ex utilitate metientis sententiam contra philosophi ponit vitam; philosophus enim et geometra *animo* tantum omnes regiones non terrae solum sed aeris quoque percurrit et tentat, mercator terram sed non solum animo sed corpore etiam, atque quum ille peregrinationis suae nullam capiat utilitatem, hic tamen opes colligit. Is igitur optime vixit, qui plurimum effecit, cuius post mortem etiam opera oculis et manibus cernuntur. Honores et magna nomina, qualia sunt Tantali, Tithoni, Minois parvi sunt aestimanda; minoris etiam Pythagoras, qui quum in vita nihil esset lucratus quo post mortem vitae vestigia remanerent, frustra sibi discipulisque persuasit, hominum animos morti non succumbere. „Quod quam fictum sit, ipse, inquit, expertus est Pythagoras, ipse tu nunc,

---

*) Hic locus etiam ab Acrone citatur ad hoc carmen; in quo mirum vide *Braunhardi* errorem, quum sic transcripsit: „Ut est: *Quem qui scire velit Cibyci aequoris*. Idem: *Discere quam multae Zephyro turbentur arenae*.“ Nae ille non vidit *idem* pron. Virgilii esse, non Acronis. Recte in edit. Henricopetri prima, in Venet. a. 1559, in altera Basil. 1527. Est locus etiam apud Comment. Cruquii

Archyta; ille enim quamvis Troiani etiam belli tempore vixisse se praedicaret neque quidquam nisi cutem et nervos morti concessisse, tamen ab Orco nunc retinetur.“ In quibus verbis nisi omnia me fallunt, *cutem et nervos* ideo dixit pro *corpore*, ut Pygathorae ipsius verba corpus prae animo contemnentis repeteret; cui rei quum accedat, quod etiam *Panthoidis* ironica compellatio ad vanam huius philosophi iactantiam notandam adhibita est, apparebit totum Pythagoram eiusque de animarum migratione et immortalitate doctrinas ludibrio huic esse nautae. Est enim nauta sive mercator qualis describitur ab Horatio carm. III, 24, 39 sqq. Praeterea alia eaque magna res ab interpretibus nondum quod sciam observata nostram sententiam cumulo quasi auget. Archytas enim quomodo auctorem *non sordidum* appellare potuit? In eaque re iam haesisse video *Feam*, quamquam vestigia, in quae inciderat, temere reliquit. In hoc enim adiectivo summa est et aperta simultas. Sordidi appellari solebant qui spretis bonis litteris solam utilitatem sequentes vitam ingenuo homine indignam degerent. Id autem quum aegre ferat nauta, Pythagoram *non sordidum* auctorem dicit, quo cum fastidiosa sua aegrimonia lucri simul amorem significet. Cf. Hor. Carm. II, 16, 15 „cupido sordidus“. Cic. de off. I, 42. ibid. II, 6 „aut postremo *pretio ac mercede ducuntur: quae sordidissima est illa quidem ratio et inquinatissima* et his qui ea teneantur et illis qui ad eam confugere conantur“. Neque praetermittendum est verbum *calcare* v. 16, quod nescio quem agrestem animum prodit. Cf. Claudian. de nupt. Hon. et Mar. 91 „*despectusque solo calcatur achates*“. Iuvenal. VI, 312. Ovid. Ibid. 29. Virgil. Aen. XII, 340. — Quem quidem nautae animum quum perspectum his verbis habeat Archytas, primo quidem *mercede* promissa istum sibi consiliare studet, deinde *metu;* et recte quidem; id genus hominum aut mercedem captant aut metu aguntur. Cf. Acron. et Comment. Cruq. — Atque ex tota hac sententia, qua Archytae studia et opera inania et supervacanea fuisse nauta iudicavit, intelliguntur opinor *parva munera exigui pulveris*,

Digitized by Google

quae philosophum cohibent. Est autem hic locus difficillimus, qui magna negotia interpretibus facessiverit. Iam vero tum demum rectum iudicium facere licebit, quum utrum ad corpus iacens an ad umbram fingatur loquens constitutum sit. Latet enim hic multorum errorum fons. Nauta, si argutius distinguere velis, neque ad corpus solum neque ad solam umbram loqui videtur; id enim ipsa re intelligitur, mortuum hominem si quis alloquatur, hunc hoc ipso tempore adhuc vivum fingi; homines enim nisi cum vivis loqui non possunt. Igitur nauta cum Archyta, nullo inter corpus et umbram discrimine facto, loquitur. Verum si consideraveris, ab ipso corpore animum seiunctum cogitari non posse, nautam autem ad eam partem sese suaque verba convertere, quam conspexerit, cum corpore etiam sermonem habere recte possis dicere, ut ii minus recte iudicaverint, qui cum umbra nautam loqui affirment. Vid. *Schreiberi* verba apud *Gerberum* p. 13. Quam in his similibusque sententiis confundatur corporum cum animis notio et significatio, cum alia exempla ostendunt tum Platon. Menex. p. 236. D. *Ἔγωγε μὲν οἶδε κτλ.* ubi qui mortui iacent vivi etiam cogitantur; quod quidem ex tota sententiarum ratione elucet. cf. Martial. x. 36, 3. sq. 71, 3. Virgil. Aen. VI, 362 coll. 365. — Quae quum ita sint, *cohibere* verbum nos non possumus intelligere ea ratione qua *Gerberum* legimus: is enim quum ad umbram dici haec verba putaret, *cohibere* idem esse defendit quod retinere, prohibere ne quis quamvis cupiat abire abeat. Potius probamus *ἀντίθεσιν*, quam *Janius* sic explicavit: „Te qui totam terram mente complectebaris, nunc *cohibent* — — munera i. e. tu nunc terrae exiguam partem, exiguum spatium occupas". Libenter enim *Gerbero* largimur quae scribit p. 7: „Aber cohibere aliquem wird von keinem alten Schriftsteller von dem Befinden einer Person oder Sache an einem Orte gebraucht, ohne daß dabei von der einen Seite Nöthigung und Zwang, und von der andern ein Widerstreben des Willens oder der Natur Statt fände". Utrumque enim quod in hoc verbo ille invenit, hic quoque nos reperimus. Archytas enim,

Digitized by Google

cui terra non sufficiebat, ut coelum quoque animo percurreret, per vim mortis hoc angusto spatio invitus continetur, coercetur, cohibetur. Nam haec tria verba idem significant. Cf. Cic. Acad. I, 12 „*cohibere* semper et ab omni lapsu *continere* temeritatem" ubi vid. Goerenz. Horat. Carm. III, 4, 80 „Pirithoum *cohibent* catenae" II, 15, 38 „hic (satelles Orci) superbum Tantalum atque Tantali genus *coercet.*" Cf. I. 18, 10 III, 14, 22 „nodo *cohibere* crinem" et II, 19, 19 „nodo *coercere* crines". IV, 6, 34 „cervos *cohibere*". Sat. II, 3, 178 „natura *coercet* i. e. non sinit longius progredi. Lucan. Phars. II, 489 „Praecipitem cohibete ducem." Deinde *munera parva pulveris exigui* vere quidem videntur parvum terrae spatium esse, in quo mortui corpus iacet. Vellem enim *Gerber* meminisset, hominis esse haec verba qui ex lucri magnitudine operis pretium constituat: „atque omnes illae difficillimae quaestiones et investigationes rerum *(arenam metiri)* quid protulerunt? Haec parva munera exigui pulveris". Munera autem ea quoque esse quae ex opere perfecto in opificem vel artificem redundent (Resultat der Bemühungen) Forcellinus iam ostendit s. v. ubi hi loci: „Cic. Parad. prooem. s. f. „Accipies igitur hoc parvum opusculum, lucubratum his iam contractioribus noctibus, quoniam illud maiorum vigiliarum *munus* in tuo nomine apparuit". id. de off. III. 1 „nulla enim eius ingenii monumenta mandata litteris, nullum opus otii, nullum solitudinis *munus* exstat". Neque dissimilis est Cic. de off. III, 18 „alieni facinoris *munusculum* non repudiarunt". Haec autem quum recte disputata sunt, nihil efficiet *Schreiber* qui „pulvis, inquit, de terra, de solo, in quo iacet corpus, non recte dici posse videtur". At male memor fuit vir doctus, iacere corpus in littore maris, littus autem maris arenosum vel pulvereum esse. Pulvis autem et arena quid prohibet quominus confundantur? cf. v. 24 et 36. Iam vero ne quid praetermittamus, *Gerber* magno apparatu locorum demonstrare studuit, *munera* ita esse intelligenda, ut res pro rei defectu posita esset: *munera nondum tibi persoluta.* Verum tamen nos certe non intelligimus, qui fieri

Digitized by Google

possit, ut homines quum de quacunque re loquantur eius rei contrariam rem indicari velint; nimirum id esset coelum terra miscere. Sic autem nobis persuasimus, omnes a Gerbero aliisque citatos locos aliam requirere interpretationem; quae qualis sit infra uberius exponetur.

Postremo quod Archytas *ter* corpori ut arena iniiciatur petit, id ideo factum videtur, quod in funeribus is numerus sacer videbatur. Sic apud Virgil. Aen VI. 229. 506. cf. Schol. ad h. l. Tibull. I, 5, 11, IV, 6, 14. Idem numerus poetis maxime usitatus fuit; de qua re quum quid *Seebodius*, vir doctissimus, in *Scholiis ad Q. Horat. Flacc.* (cf. Jahn. Ann. phil. 1840. 3. XXVIII. 3. p. 262.) docuerit nesciam, afferam locos Virgilii, nisi me unus alterve legentem fugit, omnes: *Georg.* I, 281—283. IV, 384. *Aen.* I, 108 sqq. (contra *quater* Aen. II, 242). II, 792 sq. III, 203. 421. 566. IV, 510. 690. V, 560 (contra *bis* VI, 32) VI, 355. (*bis* VI, 578) 700, VII, 141. VIII, 230. 429. 565 sq. IX, 587. (*bis* IX, 799) X. 685, 873. 885. XI, 183 (cf. 629— 31). cf. Hor. Od. III, 3, 65. Ovid. Heroid. 14, 45. Met. X, 452.

Duentzer, qui Buttmanni sententiam probat, eum antiquis poetis et Horatio morem fuisse ait, ut eius hominis quem alloquerentur nomen prope initium carminis collocarent; vid. l. l. p. 61 et 95. Qua quidem re, si esset unice vera neque aliter etiam fieret, magnopere Buttmanniana ratio adiuvaretur. Quare videamus quid sit ipse Horatius secutus.

Carm. lib. I.	c. 4	nomen	legit.	versu	14,	quum	tot.	carm.	habeat	vers.	20.
	c. 7	«	«	«	19,	«	«	«	«	«	32.
	c. 9	«	«	«	8,	«	«	«	«	«	24,
	c. 17	«	«	«	10,	«	«	«	«	«	28.
	c. 24	«	«	«	10,	«	«	«	«	«	20
	c. 25	«	«	«	8,	«	«	«	«	«	20.
	c 27	«	«	«	7,	«	«	«	«	«	24.
lib. II.	c. 1	«	«	«	14,	«	«	«	«	«	40.
	c. 12	«	«	«	11,	«	«	«	«	«	28.
	c. 16	«	«	«	7,	«	«	«	«	«	40.
	c. 20	«	«	«	7,	«	«	«	«	«	24.

Digitized by Google

Carm lib. III.	c. 8	nomen	legit	versu	13,	quum	tot.	carm.	habeat	vers.	28.,
	c. 15	«	«	«	8,	«	«	«	«	«	16.
	c. 16	«	«	«	20,	«	«	«	«	«	44.
	c. 19	«	«	«	26,	«	«	«	«	«	28.
	c. 27	«	«	«	14,	«	«	«	«	«	76.
lib. IV.	c. 7	«	«	«	23,	«	«	«	«	«	28.
	c. 9	«	«	«	33,	«	«	«	«	«	52.
	c. 10	«	«	«	5,	«	«	«	«	«	8.
	c. 12	«	«	«	13,	«	«	«	«	«	28.
Epod.	3	«	«	«	20,	«	«	«	«	«	22.

Haec igitur exemplorum multitudo etiamsi cui non videantur satis firmare *Gerberi* dividendi carminis rationem, qua Archytas inde a v. 7 loqui dicitur, tamen ut contra meam rationem ne quis possit idem dicere efficiet.

VI.

Carm. II, 19, 27.

non sat idoneus
Pugnae ferebaris, sed idem
Pacis eras mediusque belli.

Quid Horatius voluerit dicere, bene vidit *Orellius*: „idem ad utrumque aeque aptum te praebebas etc.“; deinde de transpositione particulae *que* recte citavit infra v. 32. Od. III. 1, 12, 4, 11. Tibull. I, 3, 56. Quibus locis hos addo:

Hor. carm. I, 12, 15 Qui mare ac terras varii*sque* mundum
Temperat horis

pro *mare ac terras mundumque.*

II. 17, 16 sic potenti
Iustitiae placitum*que* Parcis

III, 11, 13 tu potes tigres comites*que* silvas ducere

ubi *comites ducere* est pro *tecum ducere,* neque videndum zeugma. *Duentzer* igitur p. 92 non satis accurate: „Du vermagst es Tiger und die folgenden Wälder wegzuführen.“ cf. Virg. Aen. VI, 158 „Cui fidus Achates *It comes.*“ vid. Forcell. s. v. comes. cf. Ovid. Metam. XI, 2 „saxa sequentia ducit.“

Digitized by Google

IV, 2, 30 circa nemus uvidi*que*
Tiburis ripas

pro circa nemus ripasque uvidi Tib., nam nemus quoque Tiburis est.

Haec igitur recte; quae deinde apud Orellium insequuntur, pari laude indigna: „Nemo adhuc prorsus simile exemplum attulit constr. *medius belli* cet. pro *qui medio in bello atque in pace par sibi est*;“ quasi Horatii verba eam sententiam habeant *medio in bello atque in pace.* Immo vero ipse Bacchus medius est belli et pacis, et recte Porphyrio: „tam belli quam pacis potens“. Prorsus autem simile exemplum hoc puto Horatii Epist. I, 18, 9 „*Virtus est medium vitiorum*;“ quem locum Orellius bene explicavit citato Aristot. Eth. Nic. 2, 6. Siculi virtus media est inter vitia neque ad alterutram partem inclinat, sic Bacchus medius est belli pacisque, inter bellum et pacem, neque per se alterutri deditus sed ut tempus fert modo bellicosus modo pacis amans. Sic virtus dici potest media defectus et improbae magnitudinis, inter parum et nimis. Unde intelligitur *idem* pron. non esse *par tibi*, sed positum ex eo usu latini sermonis, quo contraria praedicata, quae vocant, ad unum subiectum eo pronomine conferuntur. De qua re *Zumptius* in gramm. §. 697. *Grysarius* de arte latine scribendi p. 57 sq. At forsitan aliquis dicat, particulam *sed* eo iam munere fungi. Cui respondeo, dici etiam *sed tamen*, quod idem fere. cf. Cic. Att. I, 18 fam. XIII, 71.

VII.

Carm. II, 20.

Ad Maecenatem.

De hoc carmine quid sentiamus si dicendum est, ingenue primum profitemur valde nos mirari, quod *Orellius* quum in argumento l. I. carm. 1. Horatium *tres* priores Odarum

Digitized by Google

libros a. u. c. 736 Maecenati inscripsisse illo carmine dicat, nunc subito mutata sententia librum secundum ita editum fingat ab Horatio „ut una cum primo carminum suorum σῶμα formaret Maecenati et in fronte et in fine dedicandum“. Quam sententiae inconstantiam ne uno quidem verbo significatam quomodo doctissimus vir comprobare possit, ego quidem non video. Neque magis intelligo, quid ad hanc Horatii in cycnum mutationem loci pertineant Theognidis et Euripidis et Aristophanis ab Orellio laudati; siquidem id unum, quod alarum, quibus poetae instructi dicantur, in iis quoque facta mentio est, ad comparationem recte instituendam non suppetit *). Deinde si hoc vicesimum carmen epilogus esset librorum duorum, ea ipsa res comparationem cum extremo carmine libri tertii provocaret; quod quam diversum sit quantoque praestantius vix opus est quod exponatur. Et rursus si epilogus esset, quid fieret vero epilogo, carm. III, 30? Num veri simile est, duo eiusdem plane argumenti eundemque in usum composuisse carmina poetam et ubertate ingenii et varietate rerum insignem? Quorum quidem alterum elatius ultra modum evagatur, alterum quietum et iustis finibus conclusum; in hoc totum terrarum orbem sua gloria suoque nomine completum iri audet sperare, in illo Italiae fines non egreditur; in illo quae est modesta sententia *non omnis moriar multaque pars mei vitabit Libitinam*, ea in hoc immense augetur: *non ego obibo, non Stygia cohibebor unda.* Quid multa? Talem epilogum duorum librorum scripsisse Horatium et deinde simillimum et meliorem tertio libro addidisse, id non magis credibile est quam complurium doctorum sententia mihi probabilis, qua duos primo libros non tres editos ab Horatio arbitrantur. Nam quod glossa quae-

*) Magis apposite *Doeringus* in comment. de alatis imaginibus ap. veteres (in Doering. commentt. oratt. carmm. 1839) p. 65 Platonis locum ex Ione comparavit: κοῦφον χρῆμα ποιητής ἐστι καὶ πτηνὸν καὶ ἱερόν.

Digitized by Google

dam Vanderb. cod. V. ad Od. II, 19. habet: „Ostendit Oratius suam apotheosin i. e. deificationem s. immortalitatem famae quam sibi paravit *duos libros carminum conscribendo* cet", id tantum abest ut auctoritatem illi opinioni possit addere, ut nata ipsa videatur ex carminis vicesimi interpretatione satis prava, qua quae ab Horatio universe de suo ingenio dicta essent, ad solos duos libros referebantur. Neque gravior altera glossa est codicis Vanderb. Q. ad od. III, 1, qua „innuit scholiastes (sic Vanderb. T. II. p. 587) Horatium post duos primos carminum libros lyram deponere voluisse, rogatu autem Maecenatis et aliorum lib. III adiecisse quem hac praesenti Oda quasi a principio incipit". Ea enim quid aliud est quam imitatio eius rei quae de quarto libro Augusti rogatu edito in antiqua vita Horatii legitur. Sed audiamus ipsum *Vanderburgium* T. I. p. 315 „Les deux premiers n'ayant à eux deux qu'un Prologue (*Maecenas atavis*) et un Epilogue (*Non usitata*); tandis que le troisième a pour lui seul un Prologue et un Epilogue (*Odi profanum* et *Exegi monumentum*), il paroît naturel d'en conclure que les deux premiers parurent ensemble, et le troisième séparément; c'est en effet de cette raison que l'abbé Galiani s'appuie; et je puis y ajouter encore le témoignage du vieux scholiaste que j'ai rapporté à l'accasioa de l'Ode 19 du Liv. II;" et p. 321: „à défaut d'auteurs anciens, quelques fragmens de scholiastes déposent que les deux premiers livres des Odes furent publiés ensemble avant le Livre III; et de plus, la place qu'occupent les Prologues et Epilogues de ces différens livres confirme encore cette opinion". De glossis, quarum auctoritate confisus est, iam diximus; et reliquae causae tam infirmae nobis videntur ac debiles, ut *Duentzerum* in eandem partem transivisse doleamus. Primum enim quod dicit *Duentzer* p. 271, omnes carminum libros epodosque quibusdam prologis instructos esse, secundum librum non esse, quum ad Asinium Pollionem scriptum carmen isto negotio non fungatur, id vehementer ego nego. Nam ne tertio quidem libro prologus est, etenim carmen primum non magis eo consilio

Digitized by Google

potest esse scriptum quam ipsius primi carminis prima stropha, qua non totum librum sed sex tantum carmina quasi aperiri proprio loco infra ostendam. An vero *carmina non prius audita* amores non aspernautur aut compotationes, quales in tertio libro satis crebro canuntur aut instituuntur? Deinde quis concedet, carm. I. 1 et II, 20 aperta quadam ratione et coniunctione ita coniungi ut prologi solent et epilogi? Is credo solus, qui carm. II, 20 epilogum esse ante iam dederit; ego autem non do. Quippe eodem iure primo carmini libri I extremum libri III respondere cur non dicam? Nam quod dicit Vir doctissimus, versu sexto *(quem vocas)* Horatium a Maecenate ad edendum librum aperte incitari, id ipsum controversum est neque poterit in alterius causam prius recte adhiberi quam is eam interpretationem unam veram esse defenderit. Quam quidem defensionem difficilem spero futuram. Quapropter libenti animo concedo, qui tres libros simul editos esse defendimus adiumenta capere inde non posse, quod ex tertio libro complura carmina nonnullis primi vel secundi libri priora videantur; contra ego quoque sic mihi persuasi, et a *Kirchnero* et ab aliis non pauca carmina virili aetati Horatii temere dari, quae ab iuvene sint composita. Sed hoc quoque non est praetermittendum, a *Kirchnero* p. 10 non tam quid ipse sentiat verum esse demonstrari quam Vanderburgii opinionem refelli vel potius ostendi, quibus ille causis innisus sit eas infirmas esse et alienas. Quam ob rem ego quidem veteri sententiae fidem servabo, simul editos esse libros *tres*; ut rursus exoriatur quaestio, quid carmine II, 20 Horatius sèqui voluerit, tum quomodo sit illud assecutus.

Et primum quidem ut de singulis rebus disseram, amicus Orellii, qui recto quodam pulcri sensu praeditus putida illa et accurata singularum mutationum enumeratione laederetur, ab Orellio contra disputante haudquaquam devictus est. Etenim quum quis respondeat, aequalibus Horatii id non magis displicuisse quam similes μεταμορφώσεις Ovidianas, is in ea tamen re erraverit, qaod epicum carmen cum lyrico, fabu-

losas mutationes cum poetica hac fictione comparare ausus sit. Nam quae laudanda est in epicis copiosa descriptio, modo evitentur quaecunque iniucunda humanam naturam male habere videantur, ea in lyricis saepe offendit. Neque ego aliter possum facere, quin carmen mihi tertia eiecta stropha multo fore carius libere fatear; quamquam quin sit Horatiana non dubito. Deinde quid tandem significat v. 6 *quem vocas*? Triplex est de hoc loco doctorum sententia; sunt qui coniungant *quem vocas dilecte*, sunt qui *dilecte* a nomine Maecenatis separare non audeant, sunt denique qui corruptum esse locum rati emendare tentaverint. *Braunhardus*: „verba inquit, ita iungenda censeo: *non ego, quem vocas „dilecte" Maecenas, obibo*" et eam putat rationem exquisitiorem altera ac doctiorem videri; valde mirum iudicium, quasi exquisitiora et doctiora semper etiam sint veriora. Praeterea docti quid ibi esset vellem dixisset vir doctus; nam vocativum *dilecte* tanquam obiectum quoddam additum esse verbo *vocas* quis exquisitum doctumve appellet? Et multa sunt quae elegantia et exquisita videantur, non sint. Comparavit vir doctus, nisi fallor *Iahnus*, in censura Quaest. Horatiarum *Wissii* (Iahn. Ann. phil. et paed. 1837. 9. XXI. 1. p. 105 sqq.) Novi Testamenti locum: Luc. 6, 46 *Τί με καλεῖτε κύριε*, qui locus Braunhardi constructioni simillimus ab *Ascensio* iam ad hunc locum adhibitus est; cuius verba haec sunt: „O Maecenas ego quem vocas .i. vocando dicis *dilecte*, ut in Evangelio: *Vocatis me magister et domine*." Praeterea *Obbarius* (Iahn. Ann. phil. 1835. XV, 1. p. 59) laudat virum quendam doctum, qui in Ephemer. litter. Ienens. 1832. N. 217. p. 293 vocativum ita defenderit, ut accusativum *dilectum* necessarium esse negaret. Quem quum consulere non possim, afferam tamen locum quod sciam nondum comparatum et optimum Ovid. Am. I, 7, 19.

Quis mihi non *demens*, quis non mihi *barbare* dixit? De grammatica igitur probabilis est ea ratio, quam ante Braunhardum iniverunt *Acro, Comment. Cruq., Ald.* a 1509. *Basil.* a. 1531, *Cruquius* (quamquam editio VIIma in versu

coniungit *dilecte Maecenas*), *Vanderburg.*, *Iahnus.* Alter scholiastes, *Porphyrio*, de ordine verborum nihil habet; tamen in edit. Venet. 1559 lemma hoc est Porphyrionis: *Non ego, quem vocas dilecte, Maec. obibo*; etiamsi in carmine ipso vocativi non separati legantur. Praeterea *Gesner* quoque et *Obbarius* l. l. ad probandam eam distinguendi rationem inclinant. At vero pluris aestimamus Horatii ingenium et versuum componendorum artem, quam ut doctissimorum etiam virorum opinionem invito ei affingere audeamus. Neque enim satis est demonstrasse, recte dici posse latine *quem vocas dilecte*, sed hoc quoque optimo nobis iure efflagitare videmur, ut unus saltem locus plane similis eiusdem vel alius boni poetae ostendatur, quo duos vocativos, adiectivi alterum, alterum substantivi nominis coniungere loci propinquitate, sententiae discrimine seiungere simul placuerit. Quodsi recte sentio, Romani homines, quippe qui crebris commatis non abuterentur, neque legentes neque audientes Horatium intellexissent, praesertim quum versus etiam firmo vinculo vocativos satis coniunctos haberent. Cf. Orellius ad h. l. Semel igitur relinquo hunc verborum ordinem, accipio alterum: *quem vocas, dilecte Maecenas.* Neque tamen eorum sententiae accedo, qui *ad coenam*, vel *esum* vocari Horatium a Maecenate crediderint, ut *Dousa* ap. Cruq. p. 659 *), aut qui cum *Ianio* interpretati sint locum sic *qui nunc vocor et habeor, a te quoque* i. *qualis ego nunc sum;* quam quidem interpretationem Ianius simplicissimam appellavit, omnium ego impeditissimam habeo et maxime languidam. Deinde ne *Duentzeri* quidem p. 273 et 386 sententiam habere credo quo possit obtineri. Quid? quum recte *spes, ventus, res vocare* dicantur, quum apud Ciceronem legamus epist. ad fam. X, 7. „Quarum rerum spe ad laudem me vocasti", Attic. III, 7. „Quod me ad vitam vocas" pro Sext. 9 „ad integritatem

*) De hac opinione Vanderb. „cette pensée serait plus digne d'un parasite que d'un galant homme."

maiorem spe sua vocabant", num eius modi locorum auctoritati fretis licet simpliciter nobis dicere *vocare aliquem* pro *excitare, stimulare* ut *quid faciat?* num potest omitti res, ad quam vocari nos dicamus? Quid hoc? „den du aber, Mäcenas, wohlwollend aufforderst? Ad canendumne? At vero addere id debuit Horatius, dummodo obscurae orationis iustam criminationem voluisset effugere. Neque *Mitscherlichius* opinor locum similiter intellexit, qui haec habet: „a te, optime Maecenas, aliquo loco habitus, expetitus, qui tamen tui gratia floreo, qui tua me amicitia dignaris cet." Cui proximus est *Passowius* in edit. epistol. p. CXXVIII. n. 270: „Aber freilich darf man nicht das Bentl. quem vocant billigen, noch quem vocas aus dem vorhergehenden pauperum sanguis parentum vervollständigen, sondern mit D. Heinsius erklären: quem amici nomine dignaris; ὃν καλεῖς ὦ φίλε *M.* „Dem du Umgang und Zutritt bei dir gestattest." So erlaubt es der Gebrauch von *καλεῖν* und vocare, so daß vielleicht vermißte tu, (s. Od. I, 1, 35—36. I, 16, 25 s. II, 17, 30 s.), so endlich fordert es die Antithese, durch das wiederholte non ego geschieden, wonach die Anrede dilecte Maecenas von höchster Wirkung und der Schluß obibo beide Gedanken zu einem verknüpft." Quae quidem ut multa ab hoc viro egregie disputata iudico. Neque me movet, quod *Obbarius* l. l. de ea verbi *vocare* significatione addubitavit. Quid? nonne simillimus et re et verbis est ipsius Horatii hic locus? Sat. I, 6, 56 sqq.

Ut veni coram singultim pauca locutus,
Infans namque pudor prohibebat plura profari,
Non ego me *claro natum patre, non ego* circum
Me Satureiano vectari rura caballo,
Sed quod eram narro. Respondes, ut tuus est mos,
Pauca, abeo; et *revocas* nono post mense iubesque
Esse in amicorum numero. Magnum hoc ego duco,
Quod placui tibi, qui turpi secernis honestum,
Non patre praeclaro, sed vita et pectore puro.

Qui *revocavit* nonne is *vocaverat* quoque? Dixerunt Virgilius et Varius quid esset Horatius; *vocavit* eum ad se

Maecenas ut cognosceret; dimisit, postea *revocavit*, ut esset in amicorum numero. Deinde haud dissimilis est locus Carm. I, 30, 2, quo loco Glycera Venerem *vocat*, ut ad se veniat, ut secum sit, habibet; et conf. Ovid. Met. X, 48 „*Eurydicenque vocant*“ sc. ad se, ut ad se veniat. Quid plura? Hoc ipso tempore, quo vocatus est a Maecenate Horatius, scriptum carmen mihi videtur, plenum laetitiae et documentum voluptatis, qua perfusum ille se sentiret, quod tanti viri amicitia et usu dignus haberetur. Ingentem exsultationem et insperatam fortunam tumidiore hoc carmine adolescens ostendit; nunc se dicit invidia maiorem in terris non iam morari, nunc se, cuius ingenium quale sit tantus tamque subtilis iudicii homo senserit, urbes relinquere, nunc se verum esse poetam laudemque sui nominis perpetuam fore ac sempiternam; ab omnibus se hominibus omnium et regionum et temporum iri laudatum, immortalitatem se iam adeptum esse vivum. Inde igitur iuvenilis ardor, iuvenilis superbia, iuvenilis tumor. Et profecto; habuit etiam Horatius cur gauderet et vehementer gauderet. Nam bona erat futura vita, antea paene misera Horatio quidem poetae, utpote qui curis et negotiis vacuam vitam, ut totum se dederet musis, ardenter cupere deberet. Cf. Sat. II, 6, 1 sqq. Videtur igitur Carm. II 20 anno 716 scriptum esse, quo Horatius vicesimum septimum aetatis ageret. Nam quod *Kirchner*, *Grotefendus*, *Orellius* a. 735 id compositum esse dixerunt, ea coniectura est neque quidquam in carmine reperitur quod eam Horatii aetatem prodat. Cf. *Frankius* l. l. p. 184. De *Kirchneri* sententia Quaest. Horat. p. 12: „nil nisi ingenii lusum, qui poetae de carminum suorum editione aliquando cogitanti exciderit, in eo deprehendimus, ideoque post in libri secundi fine collocatum arbitramur, quod pro clausula haud incommode adhiberi posse videretur“, de ea, inquam V. D. ipse videat, nobis certe non persuasit. Neque magis *Eichstadius*, vir clarissimus (Paradox. quaed. Horatt. Ienae 1831); in seriis enim rebus intempestive iocari iniucundum est. Portentosum autem est *Peerlkampii* commentum, ultimum hoc esse carmen paulo ante ab Horatio

scriptum quam mortem sibi ipse consciverit veneno. Quodsi compertum habemus, subita valetudinis vi oppressum esse Horatium, quid tandem illud est quod venenum iubeat vocari in auxilium? quum praesertim multo probabilius sit sanguine ictum eum obivisse. Nempe corpusculum non deerat.

Iam si quaeris cur in fine libri positum sit tale carmen, id Maecenatis causa factum *videtur*; nam quid spectans Horatius hunc carminum ordinem fecerit etiam post *Cahni* triad. quaest. Hor. (Bonnae 1838) incertum est. Voluit fortasse posteris quoque probare, quanti semper Maecenatis gratiam et favorem fecisset; inde carmen inter edenda receptum et in illustri loco positum.

VIII.

De carminibus l. III, 1 – 6.

Orellius, qui quarto versu carminis primi chorum iuvenum puellarumque laudes deorum canentium, sacerdotem cingentium significari cum *Mitscherlichio* et *Braunhardo* sibi persuaserit, ex auctoritate codicum, imprimis Vanderburgiani A carmen inscribere non dubitavit *Ad choros virginum et puerorum.* Quam quidem inscriptionem ex ipso quarto versu carminis petitam esse ipsa omnium inscriptionum ratio suadet; quare quale sit carmen qualisque inter hoc et insequentia libri carmina intercedat ratio ut recte intelligatur, quaerendum erit quam veram interpretationem quartus versus videatur pati. Ac primum quidem animadvertendum est discrimen, quod est inter huius carminis naturam et carminum I, 21, et secularis. In illis enim quum talia reperiuntur chori indicia, qualis est mutua canendi excitatio, in hoc praeter haec verba *virginibus puerisque* ne minimum quidem potest erui similis imaginis vestigium. At vero, inquit, dissimillima est utriusque chori ratio; nam quum in illis qui canit ipse chorus est, in hoc poeta est qui tanquam *χοροδιδάσκαλος* mo-

dos ac verba praecipiat a choro ediscenda et canenda. Sed ne haec quidem ratio potest probari, quae quam remota sit ab huius carminis natura aliud Horatii carmen ostendit, l. IV. c. 6. Deinde toto carmine nihil est quod ediscendum et canendum poeta choro velit proponere, sed continet praecepta et doctrinas, quae tantum abest ut qua illi volunt interpretes ratione scripta videantur, ut nihil magis possit esse alienum et discrepans. Nescis enim, quonam consilio chorum a magistro lectum credas; nescis, quem deorum celebraturos pueros virginesque convenisse dicas; nescis etiam, qui factum putes, ut magister subita severitate et acerba oratione innocentem et admirantem iuventutem concrepet et adhortetur. Quid tandem causae est, ut Horatius statim a quinto versu sublimi oratione exponat communem omnium mortalium necessitatem moriendi, cuius ab imperio neque potestas neque divitiae neque genus aut nobilitas neque morum probitas ipsa possit liberare; ut ostendat, vera bona non divitiis neque potestate sed animi moderatione ac temperantia comparari; ut denique doceat, non esse indulgendum vano splendori aut luxuriae, sed quaerendum esse eum vitae statum, quo divina quadam animi et corporis concordia ad veram felicitatem humanum genus possit perduci? Non invenies causam, nisi chori cogitationem omnino reliqueris; atque eam nos relinquimus redimusque ad veterem eamque veram interpretationem constanti trium scholiastarum consensu comprobatam. Scribit enim Acro: „Promittit se carmen proditurum, quo *teneras aetates* ad utilia instituat, quibus ad vitam beatam pervenire possint.“ Porphyrio: „dicit se carmen proditurum, quod *teneras aetates* instituat, quibus ad beatam vitam pervenire possint.“ Comment. Cruq. canto] quo *teneras aetates* instituat ad honesta, quibus ad vitam beatam pervenire possint.“ Sunt igitur *virgines puerique*, quibus cantare se dicit Horatius, tota soboles, futura aetas. Suae enim aetatis homines correptis undique divitiis ad tantam luxuriam, bellis civilibus ad tantam morum perversitatem deciderant, ut nisi qui omnia contra rerum naturam fieri posse arbitra-

Digitized by Google

retur, sinceram correctionem vitiorum et rectum reditum ad priscas virtutes ab ea iam aetate non posset exspectare. Quod quam verum esset, quis potuit melius intelligere quam Horatius, qui in illustrissimo loco positus, ab nobilissimis ditissimisque hominibus acceptus in ipso quasi domicilio perversitatis et corruptionis habitaret? Desperavit igitur salutem suae aetatis, unam spem relictam vidit in posteritate. Quid ergo? Quum recta intelligentia probaque patriae caritate se excitatum sentiret, ut quod unus homo efficere posset, id non praetermitteret, potuitne meliorem inire viam, quam quum ad posteritatem conversus ea doceret, quibus ad honestatem vitae duci eam posse existimaret. Quae quum ita sint, opinionem *Mitscherlichii*, qui hanc interpretationem miro quodam acumine inventam iudicaverit, non possumus non improbare, praesertim quum ad *Torrentii* sententiam, qua quatuor primi versus primi carminis non unius sed sex primorum carminum quasi prologus habendi sunt, recte nobis videamur accedere. Itaque credimus, non hoc primum solum, sed quinque etiam insequentia carmina ad instituendam iuventutem scripta esse et accommodata; quamquam non negamus, parentibus quoque quibus rebus opus sit simul significari. Quae carminum ratio, ut magis explicetur, naturam eorum et doctrinas, quales esse mihi persuaserim, paucis verbis indicabo. Ac primo quidem carmine quid sit verum bonum, quae vera humani generis fortuna, ita ostendit poeta, ut quum omnes omnino mortales et summos et imos uni legi et necessitati naturae obnoxios videamus, honoris vanitate et divitiarum splendore contemto nihil magis petendum intelligatur, quam animi continentiam et tranquillitatem, nihil magis vitandum quam perturbationes et cupiditates. Quod in extremo hoc carmine de se ipso Horatius professus est, id exemplum esse voluit de suis rebus ideo sumtum, ne quum aliter fere sentiant homines aliter agant, in eandem reprehensionem ipse cadere videretur aut praeceptum suum suo exemplo irritum reddere. — Alterum deinde carmen ita institutum est, ut pubes Romana laboribus militiae et periculis bellorum firmata

Digitized by Google

a blanditiis delicatae vitae ac mollioris disciplinae defensa (cf. Od. III, 24, 52 sqq.) ad antiquam paupertatem feliciter reducta intelligat demum, Romani civis dignitatem cerni in animo pro patria mortem obire parato, alieno ab indigno aurae popularis studio, honores meritis non favore petente, fide et innocentia ornato. Cereris autem sacrum exempli causa poeta adiunxit, ut quod de hoc diceret, ad omnes res et privatas et publicas pertineret; praeterea voc. *puer* v. 2 quibus haec cecinerit Horatius dilucide ostendit. — De tertio carmine quid dicam? Argumentum et consilium in prima harum quaestionum particula satis mihi videor illustrasse, neque possum laudare, quod *Orellius* hoc carmen ad *Caesarem Augustum* inscripsit, quo titulo ineptior non potuit inveniri. Nam ad Augustum scriptum esse quis inde concludat, quod v. 11 Augustus nominatur aut toto etiam carmine quodam modo celebratur. Satius vero fuit cum veteribus editionibus inscribere *de honesto viro*, quamquam is quoque pravus index est. Ipsum autem carmen optime in hanc seriem assumitur; eandem enim rationem apertum est inire Horatium, qui iuventuti Romanae laudem ac gloriam nominis Romani describat doceatque, quibus artibus ad tantam magnitudinem et potestatem imperium pervenerit adiuncta cautione, ne magnis virtutibus auctum contrariis vitiis dilabatur. Verum aliud quoque sed secundum consilium in eo Horatius videtur esse secutus, ut in teneris iuventutis animis bellorum civilium odio non infectis amorem et gratiam excitaret alterius patris imperii Romani, Octaviani Augusti. —

De quarto carmine non minus diversae interpretum sunt sententiae quam de superiore. In eo autem omnes fere consentiunt, quod ad Augustum eiusque imperium sive commendandum sive illustrandum referunt. Quam quidem rationem tam alienam ab Horatii consilio esse arbitror, ut ne *Duentzeri* quidem (cf. p. 357) opinionem duas carminis partes sed iusto quodam vinculo coniunctas esse docentis possim comprobare. Is enim vir doctus quum dicit, superiore carminis parte felicem poetarum conditionem Musarum tutela gaudentium de-

Digitized by Google

scribi, inferiore maiestalatem Augusti celebrari, in eo ipso videtur errasse, quo *Doeringum* putat. Nam quod inter has partes reperisse sibi videtur vinculum, vereor ne tale sit, ut alienissima quaeque eodem possint facile coniungi. Hoc autem ne male videar dicere, ipsius verba, quibus utramque partem vult coniungi, addam: „Aber nicht bloß dem frommen Dichter stehen sie bei, sondern auch der Kraft, die nicht dem Uebermuthe sich preisgibt. So leiht ihr auch dem Cäsar Freude und Lust cet.“, in quo loco non video, quid sit quod poetam cum vi temperata aut cum Caesare coniungat. Omnino non video duas partes, non celebratur Augusti imperium, non commendatur moderatio et clementia Augusto ad crudelitatem olim proclivi (cf. Orelli), sed totum carmen unum est eiusque summa cernitur in commendanda pietate, in probando timore deorum, in castiganda sui temporis impietate et humana superbia, qua suis ipsorum viribus confidere solent homines deorumque potestatem spernere. Ad Augustum autem una tantum stropha est et ita quidem, ut nihil magnae laudis habeat. Nam v. 41 „Vos lene consilium et datis et dato gaudetis, almae“ non intelligo, cur de eodem Augusto dicta esse credant viri docti, quum non magis possit esse universa sententia. Deinde ut eodem quo superiora carmina consilio scriptum hoc putem, praeterquam quod neque certa quadam occasione neque ad quemquam amicorum aut fautorum datum est, hoc maxime effecit, quod de sua pueritia sumtum divinae tutelae admirabile exemplum consilium prodit commovendorum iuventutis animorum. Qua quidem concordia consilii omnes carminis partes egregio ac firmo vinculo ita copulantur, ut quid spectans splendido exordio Calliopam de coelo Horatius devocaverit simul intelligatur. Tam sancta haec est de timore deorum restituendo doctrina, ut divino ipsius Musae ore dignissima cuique statim videatur; quamquam Orelliana carminis inscriptio *ad Calliopen* non melior est quam superioris carminis. Rectius sane in edit. Ascens. legitur: *Musis deditum se poeta ostendit*, quae quidem verba partem certe carminis indicant. *Jahnus* de hoc carmine

Digitized by Google

acute quidem, ut solet, et ingeniose disputavit in suis Ann. phil. 1839. 8. XXVI. 4. p. 457, sed non ut persuaderet. Nam quas invenit vir egregius tres partes carminis de potestate Musarum, quae 1) poetis praesidio sint v. 9—36, 2) imperatores et victores ex belli laboribus recreent et delectent, v. 37—40, 3) prudentia sua ac sapientia innocentes tutentur ab improba potentia et audacia, quae quidem ipsa non temperata consilio et continentia ipsis diis infesta sit et inimica, v. 41—80; eae igitur partes tam sunt inaequales, ut prima et tertia quadragenos fere versus, media tres tantum complectatur. Quod quam molestum sit, *Iahnum* fugisse non videtur; sed quam excusandi rationem p. 458 invenit: „der zweite Gedanke wird in Beziehung auf Caesar Augustus nur kurz behandelt, weil dieser eben erst aus dem Kriege zurückgekehrt war und nur erst anfängt, sich der Musenkünste zu ererfreuen", eam debiliorem esse et prope alienam video. Deinde trium partium concordia desideratur, quam recte videtur invenisse *Wissius* quaest. Horat. lib. IX. in vv. 65—68. Quae ibi dicta sunt de vi et consilio, ea solam spem et unam tutelam hominum in diis positam esse demonstrant. —

Transimus ad quintum carmen, quo poeta iuventutem Romanam adhortatur ad tuendam nominis Romani dignitatem, ostenditque quanto libera pro patria mors praeferenda videatur servituti; simul tamen amorem excitare conatur in Augustum, Romanae virtutis vindicem et ultorem. Rationem autem hanc inivit, ut duobus et contrariis exemplis quo tenderet perveniret. Et alterum quidem Crassianorum militum, quorum recens memoria bonorum civium animos summa indignatione affecit, pessimum est; alterum Reguli optimum et imitatione dignissimum. In qua re nullam esse puto similitudinem aut rationem inter Augustum et Regulum, quos quidem viros patriae studio et amore coniunctos in hoc carmine opinatur *Duentzer* p. 354 cum *Sanadono* aliis. Neque si vera esset haec comparatio, gratiam credo Augusti Horatius ea meruisset, quoniam quod tristius omen potuit cogitari? Deinde quod nullam habet carmen inscriptionem in

Digitized by Google

editione Orelliana, magnopere laudandum est, quum tamen qui tertio carmini Augusti nomen praefigere non dubitasset, is eodem hoc quoque potuisset exornare. — Sextum denique carmen magis etiam quam superiora prodit quid sit Horatius secutus. Initio primi carminis canturum se dixerat pueris et virginibus; quod promissum quum ita praestitisset, ut quinque carmina ad instituendos pueros conscripsisset, hoc sexto de virginibus loquitur. Ea autem inaequalis distributio non habet quod miremur; est enim sexuum rationibus egregie accommodata. Nam quum pueris multa praescribenda essent de honestate, de turpitudine, de virtute civili, de fortitudine, de temperantia animi, de fide, de timore deorum, de amore patriae, virginibus una eaque summa lex danda erat de pudore ac moribus, de castitate et connubiis, et ostendendum, quantae calamitates non in domos solum sed etiam in rem publicam confluxissent corruptis muliebris quoque sexus moribus. De ipso argumento quum *Duentzer* p. 342 optime nobis videatur disputavisse, uberius dicere facile supersedemus. Monemus tamen, extrema carminis stropha horum sex carminum doctrinas iterum colligi et admirabili quodam artificio quatuor aetates trium versuum parvo spatio coniungi. In quo loco hoc quoque addo *Duentzerum* rectius interpretatum esse vv. *mox daturos progen. vitios.* quam Orellium; ille enim optime adscripsit: „wenn es so fortgeht". Praeterea animadvertendus est difficilis locus in initio huius carminis: *delicta maiorum immeritus lues* cet., ad quem locum *Ianius*: „insons, inquit, cum respectu ad delicta ista maiorum. Propriis enim flagitiis non erant Romani liberi". At vero si ipsi liberi non erant flagitiis, quomodo tandem *immeriti* luere potuerunt delicta maiorum? Id enim profecto non potest dici nisi de iis qui ipsi omni culpa vacui et innocentes iracundia quadam deorum plectuntur. Et *delicta* quae significantur sunt bella civilia omnia a Mario ad Antonium, quorum Horatii aequales expertes non erant. Neque tollitur ea difficultas mira admodum Orellii interpretatione, qui quum permulti verissime *immeriti* dici potuerint, poetam morum

Digitized by Google

corruptionem statim depingentem sibi non repugnare arbitratur. In qua re id mirum dico, quod permultos scribit innocentes fuisse, id quod nemo negabit, quum tamen ab Horatio neque unus alterve neque pauci aut multi significentur, sed *Romanus* id est populus Romanus, tota aetas quaedam, remoto omni inter singulos homines discrimine. Quapropter quum immeritus luere dicitur Romanus delicta maiorum, aut Horatius obscurus est et falsus aut interpretes. Tota autem res facillime removebitur, quum nostram de his carminibus sententiam comprobaveris. Is enim quem appellat Horatius *Romane*, non aequalis est, sed sunt futuri temporis cives, et maiores, quorum crimina luuntur, omnes sunt qui inde a Sullanis temporis usque ad ultima civilia bella communi morum depravatione contaminati publicorum criminum participes erant. Ita demum intelligitur futurum tempus *lues*, neque *Peerlkampii* coniecturam *meritus* pro *immeritus* admitti debere, omnino probandam si vulgaris interpretatio quid Horatius sensisset indicaret. Ceterum de tota hac re, quod posteris maiorum delicta luenda dicit Horatius, in quo Graecam magis quam Romanam religionem secutus est, vide *Krahneri* Grundlinien zur Geschichte des Verfalls der römischen Staatsreligion (progr. schol. lat. Halens. 1837) p. 17 sq., a quo hoc quoque bene animadversum est, *ἀντίθεσιν* esse quandam inter *delicta* et *immeritus* atque ab eam solam rem *Peerlkampii* coniecturam reprobandam videri.

Iam quum de argumentis carminum satis nobis videamur disputavisse, dicendum erit de temporis ratione, quo scripta ea esse veri simile sit, ac demonstrandum quum eodem consilio coniuncta haec carmina affirmemus, temporum vi et necessitate ea non distrahi. In quo genere proxime accedimus ad *Frankii* sententiam, cuius *fasti Horatiani* nunc ipsum nobis allati in constituendis temporis magnopere recedunt ab reliquorum interpretum opinione. Superiores enim quod sciam omnes praeter *Grotefendum* carmina haec scripta esse affirmant intra annos 733—736, ita tamen ut sextum anno 726 compositum putent; quamquam *Duentzero* hoc quoque

Digitized by Google

decimo anno post scriptum esse videtur, *Frankius* autem rebus et temporibus diligenter et caute inter se comparatis quum intellixisset, nihil in his carminibus esse quod supra annum 728 ascendere cogeret, annorum spatio 726—728 ea conclusit. Quod quum omnino bene factum nobis quoque videatur, in una tamen re et ea quidem gravi male desideratur constantia. Quid enim? Qui sensisset, sex prima carmina non modo naturae et argumenti similitudine sed temporis quoque „*cognatione*" coniungi deque singulari causa composita esse et iuxta collocata, eum quid potuit commovere, ut a se ipso factum quasi nodum continuo ipse solveret? Nam quid est aliud telam retexere nisi hoc est, eadem ipsa carmina trium annorum longo spatio distrahere? aut affirmare prima primi carminis stropha aperiri sex insequentium carminum seriem, deinde primum carmen ad annum 726 reprimere et tertium, quartum, quintum ad annos 727 et 728 tollere? Id quomodo defendat videat ipse. Mihi quidem apertum est, quae cognatione consilii et loci coniungantur carmina ea non posse distrahi diversitate temporis quo orta esse dicantur. Quod quidem si recte disputatum est, eo ducit, ut quum ante a. 728 qartum et quintum carmina scripta esse non possint, omnia hoc anno iuniora non credam. Nam ne in sexto quidem quidquam legitur, quod annum 726 aperte prodat aut post duos annos scriptum esse non videatur probabile. *Frankius* quidem p. 193 scribit: „in vers. 13 et 14

> Paene occupatam seditionibus
> Delevit urbem Dacus et Aethiops

bellum Octaviani et Antonii, qui Dacos quoque (Dion. 51, 22) et Aethiopes (Plut. Ant. c. 61) sibi adiunxerat, *nuperum* memoratur"; at vereor ne perperam intellexerit eos versus, quoniam *nuperum memorari bellum civile* ne uno quidem vocabulo indicatur. Quid? Parthica quoque bell*a* (v. 9 *Monaeses et Pacori manus*) annis 701 et 714 gesta quum locum in carmine invenerint, num inde licebit concludere, recentem eorum memoriam ita prodi? Neque tamen plus auctoritatis aut veritatis in illa *Frankii* argumentatione con-

Digitized by Google

spicitur, ut per hos versus haudquaquam impediamur, quominus Horatium vel decimo anno post carmen scripsisse credamus. Nam quid sit *nuper* apud Horatium, hic locus docebit Epod. 9, 7

> Ut *nuper* actus cum freto Neptunius
> Dux fugit ustis navibus cet.

quo quidem loco quae res significatur *sexennio* ante gesta est quam carmen scriptum, et tamen *nuper gesta* dicitur; ut si cui placeret, vel posset dari Frankio *nuperum* memorari bellum Octaviani et Antonii. Praeterea Augusti in reficiendis templis positam curam his ipsis versibus obiter laudari quamquam libenti animo largior, tamen ut eodem anno quo id fecisse Augustus dicatur carmen compositum esse a poeta neque serius componi potuisse credam ea re non commoveor. Haec fere habui de his carminibus quae dicerem; moneo autem, *Teuffelio* quoque Tuebingensi, qui quid de *Feldbauschii* libello (de Q. Horat. Flacco non adulatore Heidelbergae 1839) sentiret in Jahni Ann. phil. XXVIII. 3. p. 334 ingenue est professus, tertium huius libri carmen ante annum 733 scriptum videri.

IX.

De carmine III, 26.

In exponendo huius carminis argumento quum qui nuperrime de his rebus scripserint *Orellius et Duentzer* p. 200 errasse mihi videantur, dicam quid sentiam. Et Orellius quidem quum dixit poetam per iocum simulare, iamiam sese amoribus renuntiaturum in eiusque rei indicium instrumenta amoris Veneri dedicare, simul tamen et iocose precari, ut Chloae amorem dea sibi velit conciliare, superiorem partem recte illustravit, inferiorem infeliciter obscuravit. Id enim ubi est, quod dicit precari Horatium ut Chloae sibi amorem dea conciliet? Apud Horatium ne verbum quidem; alienum est carmini. Deinde a *Duentzero* in eo maxime dissentio, quod querentem audit poetam de fuga levis iuventatis et de-

Digitized by Google

coris (Od. II, 11, 6.) Nam quid hoc? „Hiermit wußte ich mir sonst Eingang zu verschaffen, als noch meine Jugend glühte; jetzt aber muß ich mich der Chloe gefangen geben, wenn Du, o Venus, mir nicht hilfst, der ich auch jetzt deinem Dienste noch nicht entsagen kann". Ergo quum iuventa non iam floreat, Horatius capi se patitur a Chloa? An forte si floreret aetas, non caperetur? Perspicuum est, haec inter se non convenire. Equidem sic mihi persuasi. Poeta Chloae amore captus sed non auditus tanta aegrimonia et tristitia obruitur, ut non iam idoneum se sentiens amoribus queratur: „Fuit olim, quum in amore felix essem; nunc secus est. Ut miles militiae laboribus ferendis impar arma mea Veneri suspendam; nam quid prosunt? Chloa preces meas auribus accipere recusat. Sed verus et spretus amor inultus non erit; tu, dea, arrogantem (die Spröde) castigabis". Hoc extremum ita intelligendum non est, ut suo amore velit capi Chloam, sed ut iure quodam talionis par pari referatur. Recte enim scholiastae; *Acro*: „Sublimi flagello] in altum sublato ictu, quod fit, dum quis vehementius vult ferire; et ideo Chloen, quia arrogans est et superba amantibus, percuti vulnere gravi dicit debere amoris plaga Venerei". *Porphyrio*: „Sublimi] id est, in alto*) sublevato. Hoc enim fit, cum quis vehementius velit percutere. Vult autem Chloen, quod sit arrogans et superba amantibus, vel una amoris plaga a Venere percuti". *Comment. Cruq.* Sublimi] in altum sublato ictu; quod fit, dum quid (corr. *quis*) vehementius vult ferire; et ideo Chloen, quia arrogans est et superba amantibus, vult percuti una amoris plaga vehementi" Vides quam in verbis etiam conveniant.

Postremo moneo coniecturam *Frankii* p. 57 not. 14. vixi *duellis* pro *puellis* facillimam sed infelicissimam videri; nam quod dicit multo ita concinniorem fieri orationem eamque simillimam Od. IV, 1 *Intermissa-bella*, utrumque non potest magis esse falsum. De amoris militia satis frequens

*) Lege *altum*, sic in edit. Venet. a. 1559.

imago est apud poetas, et Carm. IV, 1 quale belli genus significetur Veneris nomen indicat; ut si obtemperare hoc loco velis Frankio, non modo non concinnior fieret oratio, sed usque ad quartum versum quo *barbiton* aliquid lucis afferret, obscura et incerta.

X.

Carm. IV, 5, 35.

et Laribus tuum
Miscet numen *uti Graecia Castoris*
Et magni memor Herculis.

Duplicem horum versuum constructionem invenerunt viri docti; alii sic, ut *Castoris* et *Herculis* genitivos coniungant cum voc. *numen*, *Graecia memor* per se et sine obiecto posita sit, alii ut Graecia sit *memor Castoris* et *magni Herculis*. Haec autem ratio, quae est Scholiastarum et Orellio praestantior visa — quamquam ipse causas non affert —, duae sunt res cur mihi quoque aptior videatur. Et primum quidem non facile fero, quod *memor* adiectivum quo referatur obiecto privare illi conantur; nam quum latine dicimus *memorem et gratum esse alicui*, cuius quis rei memor sit altero adiectivo *gratus* aperitur, ut inde non liceat concludere *memorem esse* pro *beneficiorum memorem esse* posse dici; hoc autem significare voluit Horatius. Diversus locus est Virgil. Aen. I, 4 *saevae memorem Iunonis ab iram*, ubi ira satis ostendit cuius Iuno sit memor; simili ratione intelligitur Virg. Aen. IV, 521. Altera autem quae me movet ratio ex poetae more verborum collocandorum petita est. Hoc enim animadvertimus, ubi substantivum adiectivo ornatum obnoxium sit potestati alterius nominis, ibi Horatium tria vocabula disponere ita solere, ut regens nomen in medio loco positum reliquis duobus cingatur. Exempla haec sunt:

Digitized by Google

Carm. I, 14, 12 silvae filia nobilis
I, 17, 21 inocentis pocula Lesbii
I, 18, 12 variis obsita frondibus
I, 24, 13 Threicio blandius Orpheo
I, 27, 10 Opuntiae frater Megillae
I, 36, 13 multi Damalis meri.
II, 1, 9 severae Musa tragoediae
II, 13, 29 sacro digna silentio
III, 9, 7 multi Lydia nominis
IV, 6, 1 magnae vindicem linguae
IV, 6, 33 Deliae tutela deae
IV, 11, 31 meornm finis amorum
IV, 15, 26 iocosi munera Liberi.

Sic igitur *magni memor Herculis.* In his causis, quo clarius perspicitur alteram alterius virtute augeri, eo maior inest vis. — Est autem ille verborum ordo epicis quoque poetis valde usitatus, in extremo potissimum versu heroico; cf. *Virgil. Aen.* VIII, 183. 313. 617. 627. IX, 548. X, 52. 148. XI, 480, 582, 604. 738, XII, 34. 123. 142. Ovid. Met. 1, 59. 98. 126. 155. 161. 169. 178. 189, 234. 295. 298. 312. 315. 338 cet.

XI.

Carm. IV, 6, 36.

Lesbium servate pedem *meique*
Pollicis ictum.

Ad quem locum *Orellius*: „Non, inquit, de ipsa citharae pulsatione, sed de carminis ῥυθμῷ, qui pollicis motu indicabatur, loquitur (Tactschlag)". At Acro „modulationem lyrici carminis, veluti ipse lyram percutiam". Similiter Porphyrio. Rectius igitur *Duentzer* p. 88 „Das Anschlagen der Akkorde auf der Leier." De qua re conferas velim hos locos:

Ovid. A. A. II, 493 . . . . Apollo
Movit inauratae *pollice fila* lyrae.

Stat. Silv. IV, 4, 53 . . . tenues ignavo *polliee chordas*
Pulso.

ibid. V, 5, 31 . . . . . ignavo *pollice chordas*
Pulso; sed incertum *digitis errantibus* amens
Tundo chelyn.

Claudian. praef. in nupt. Hor. et Mar. v. 7.
Terpsichore facilem lascivo *pollice movit*
Barbiton.

XII.

De carm IV, 12.

Ad Virgilium.

De hoc carmine incredibile est quam multa iam dicta, cogitata, coniectando quaesita ac temere affirmata sint. Id autem magnopere mihi peccavisse videntur multi interpretes, quod neque verborum aut sententiarum neque mutuae partium aut coniunctionis aut oppositionis rationem quam in eius modi rebus decet habuisse satis videntur. Atque sunt qui iusto angustioribus finibus libertatem suam et arbitrium in interpretandis locis scriptoris ipsi circumscribant; veluti ii, qui quum sibi ultro persuaserint quartum carminum librum inde ab anno u. c. 736 compositum esse, ut constantiae laudem mereantur ipsis carminibus vim inferant, et ad Virgilium unguentarium vel nescio quem hominem hoc carmen scriptum potius dicant quam ad poetam, quippe qui a. u. c. 735 mortem obiverit. Quanto satius est dicere hunc vel illum librum non ante certum aliquem annum editum videri. Praeterea hoc quoque cavendum est, ne figuras ubique et metaphoras cernamus; qua re nihil blandius et periculosius esse monet exemplum *Duentzeri*, quem vera vestigia secutum ab recta via postea deflexisse doleo. Parvo enim nardi onyche Virgilii animum ait significari et ingenium, quod quasi aroma accedat ad vinum et epulas *). Quodsi talia latent sub sim-

---

*) *Λήκυθον* quidem Graeci dixerunt pro fuco oratorio, ornatu, figuris. Sed alia res.

Digitized by Google

plicitate Horatii, de inflata ac turgida oratione protinus reus erit. Idem vero est ubique et eius oratio perspicua. Sic ne in hoc quidem carmine signa desunt quaedam aut aperta indicia, quae quid voluerit ille mea quidem sententia clara satis luce circumfundunt. Atque haec reperisse mihi videor: in v. 13 *sitim*, in v. 14 *sed* et elegantius verbum *ducere*, in v. 15 *gestis*, quod verbum magnum aliquod desiderium et magnam cupiditatem significare docent grammatici, ut *Doederl.* Syn. T. V. p. 58 sq.; cuius quidem cupiditatis causam et originem statim habemus adiunctam: *nobilium iuvenum cliens.* Neque temere *parvum onychem nardi* contra *cadum Caleni* positum, et imprimis vv. 18, 24 et 27 sq. premendos esse arbitror.

Carmine I, 20, quo Maecenas ad convivium invitatur, anno u. c. 735 (quo anno Virgilium praematura morte oppressum esse constat) Horatius generosiora vina se habere negat: Maecenatem igitur contentum esse debere Sabino, quod plumbeum Martialis appellat, in villa sua nato. Et quisquam credet, ab eodem Horatio Virgilium ante a. 735 (siquidem poeta est ad quem carmen est scriptum) ad Calenum vinum vocari, divitum hominum delicias (carm. I, 31. 9)? quamquam Maecenati, cui quae omnia haberet Horatius debebat, optima proponenda erant atque optimo etiam vino summus certe honor habendus. Rem potius sic se habere credo. Incipit carmen ita, ut verni temporis suavitas copiose et eleganter describatur; id autem consilio factum esse credo, ut *sitis*, qua fauces urerentur, origo ostenderetur; deinde nisi animus me fallit, ut recordatio quaedam fieret bucolicorum carminum Virgilii, de quibus altera et tertia strophae aperte videntur commonere. Iam adest ver, cum vere calor, cum calore sitis. Eam autem optime pellunt vina mediocria. Quae Horatius proponeret Virgilio ut Maecenati (I, 20), siquidem ad coenam, qualis haberi plerumque solebat, vocaret amicum. At vero non coenam, ad quam qui convenissent sodales quiete et amice mutua amicitia gauderent, sed laetam et effrenatam comissationem celebraturus est,

Digitized by Google

quoniam simplicem et aequabilem vitae cursum insano quodam furore interdum sed recto tempore et iusto loco interrumpi necesse sit (cf. vv. 27. 28). Iam vero quod suum est consilium, id callide et iocose datur Virgilio, utpote qui *nobilium iuvenum cliens* apud divites iam gratiosus viliora vina spernat, exquisita gestiat. Quare sic dicit: „Veris calore sitis excitata est; quare mediocri vino contentus esse posses; *sed* (v. 14) si apud me esse *gestis* ut apud iuvenes nobiles ac divites, quibuscum esse soles, si *Calena* vina *ducere* (schlürfen, quo verbo cupiditas et sapor significantur) cupis, agedum dabo sed ea lege, ut quum Calenum nardo carere non possit, tu unguenta praestes". In quo loco hoc moneo, nardo et Caleno comissationem indicari. cf. Beckeri Gallus T. II. p. 217, T. I. p. 40, ubi morem fuisse docemur, ut coenae pater non vinum solum sed coronas quoque et unguenta daret. Sic Horatius quoque Carm. III, 29, 3 sq. Quod quidem quum per se probabile sit, tum plerumque ideo fieri potuit, quod qui eius modi convivia ornarent, satis abundabant divitiis. Verum quid prohibet quin sumtus saepe magnos ac paene effusiones ita divisos esse credamus, ut qui invitasset vina daret, invitati ipsi unguenta et coronas afferrent? Cf. Ovid, Fast. I. 403:

„Vina dabat Liber: tulerat sibi quisque coronam".

Nardinum autem unguentum ingenti pretio emebatur. Plin. H. N. XIII, 3 „Haec (unguenta) est materia luxus e cunctis maxime supervacui. Margaritae enim gemmaeque ad heredem tamen transeunt, vestes prorogant tempus: unguenta illico exspirant ac suis moriuntur horis. Summa commendatio eorum, ut transeunte femina odor invitet etiam aliud agentes. *Exceduntque quadragenos denarios librae.* Tanti emitur voluptas aliena." ibid. XII, 12 „Folia (nardi) divisere annonam, ab amplitudine hadrosphaerum vocatur maioribus foliis X. xxx (triginta denar.); quod minore folio est, mesosphaerum appellatur, emitur X. LX. (sexag. denar.); laudatissimum microsphaerum e minimis folium, pretium eius X. LXXV." et antea: „Cacumina (nardi) in aristas se spargunt,

Digitized by Google

ideo gemina dote nardi spicas ac folia celebrant . . . Pretium spicae in libras X. C“. Iam quod nardum cum margaritis et gemmis composuit Plinius, magnum eius pretium ostendit. Facilius tamen id intelligitur ex loco Novi Testamenti, quod idem Horatii aetati propius est. Legimus enim in evang. S. Ioann. c. 12, 3 sq.: *Ἡ οὖν Μαρία λαβοῦσα λίτραν μύρου νάρδου πιστικῆς πολυτίμου, ἤλειψε τοὺς πόδας τοῦ Ἰησοῦ... Λέγει οὖν εἷς ἐκ τῶν μαθητῶν αὐτοῦ, Ἰούδας Σίμωνος Ἰσκαριώτης· Διατί τοῦτο τὸ μύρον οὐκ ἐπράθη τριακοσίων δηναρίων καὶ ἐδόθη πτωχοῖς;* et in evang. S. Matth. c. 26, 7 *Προσῆλθεν αὐτῷ γυνὴ ἀλάβαστρον μύρου ἔχουσα βαρυτίμου καὶ κατέχειν ἐπὶ τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ ἀνακειμένου. Ἰδόντες δὲ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ ἠγανάκτησαν λέγοντες· εἰς τί ἡ ἀπώλεια αὕτη; ἠδύνατο γὰρ τοῦτο (τὸ μύρον) πραθῆναι πολλοῦ.* in evang. S. Marc. c. 14, 3 sq. *Ἠδύνατο γαρ τοῦτο τὸ μύρον πραθῆναι ἐπάνω τριακοσίων δηναρίων.* Treccenti autem denarii ex nostra nummorum ratione efficiunt fere 63 thal. 10 gross. argent. cf. *Wurmius* de pond. numm. mens. rat. tab. X; vel secundum tabulam *Beckeri* (Gall. T. I. p. 151) 238 franc. 55 centes. Librae autem quum continerent duodenas uncias, ex nostra mensura explent fere vicenos pollices cubicos; oleum enim decima parte levius esse solet quam aqua. Unde intelligitur, onychem sive alabastrum (de quo vid. Calmet. ad N. T. l. l.), quo Maria in evangelio usa esse dicitur, haud ita magnum vas fuisse. In compotationibus autem Romanorum quum tanta pretiosi unguenti copia consumeretur, ut non solum capilli et tempora maderent, sed oleum per frontem in oculos et faciem flueret, insanos sumtus in id genus voluptatis factos esse patet. Quapropter dicit Horatius, se utrumque et vinum et oleum praestare neque posse neque velle; sibi emendum iam esse vinum; quodsi Virgilius nardum afferret, veniret cum sua merce; immunem eum non fore ut in plena ac divite domo; neque in ea re curandum esse, utrum vinum sit carius an oleum. Neque erant fortasse unguenta vinis viliora, id quod concludere paene licet ex vv. *pone lucrum* quae iocosa ha-

Digitized by Google

beantur oportet. Cui denique in mentem non venit decimi tertii carminis Catulli? qui quum coenam pararet, rem contraria ratione ita instituit, ut amicos iuberet omnia secum ferre, ipsam coenam et vinum; se autem unguenta daturum.

Quae quum ita sese habere videantur, Virgilium hunc Horatianum neque unguentarium neque medicum quendam Neronum, sed ipsum poetam, veterem amicum et sodalem Flacci esse mihi et semper fuit certissimum et nunc est; cuius opinionis socium me nunc habere *Duentzerum* pergratum est, quamquam is poetarum profusionem etiam auxit Caleno in Falernum mutato (cf. Plin. 4. N. XIV, 6). *Frankius* tamen p. 223 negotiatorem tanto honore dignum habet. Ea vero difficultas, quod tale carmen in quarto libro legitur, quam quidem *Obbarius* (Iahn. Ann. phil. 1835. XV. 1. p. 72) maximam habet, multo mihi facilius moveri posse videtur, quam altera Horatio prorsus indigna. Quartus enim liber Augusti potissimum rogatu editus eiusdemque laudibus maxime deditus tamen habet immixta imperatoris eiusque familiae honori exempla omnium rerum, quas in reliquis libris a poeta illustratas habemus. Quid enim? Nonne canuntur ibi amores (carm. 1. 10. 13.), ars poetica, Musa, pietas (carm. 3.), amicitia (carm. 8. 9. 11)? Nonne dantur ibi praecepta sapienter et honeste vivendi (carm. 7)? Nonne etiam mortuae iam Cinarae, puellae olim vere amatae, grata memoria renovatur (c. 13)? Quid igitur mirum, si Virgilii quoque, cui praeter Maecenatem maxima beneficia deberet Horatius, a quo commendatus esset Maecenati, egregium aliquod veteris amicitiae et grati animi monumentum exigere voluit? Id autem ut faceret, ex carminum copia hoc videtur sumsisse propterea quod eius temporis memoriam restituit, quo ipse Maecenati nondum erat notus, Virgilius viam sibi iam muniverat ad magnos quos postea adeptus est honores. Nam in *nobilibus iuvenibus* Maecenatem quoque esse praeter Pollionem, Agrippam, alios egregie, si quid sentio, *Bothius* affirmavit, *Duentzer* consensit. Neque iam quidquam obstare puto, quominus carmen anno 714 vel

715 compositum et Virgilio mortuo quarto libro adscriptum esse credamus. In qua re hoc fortasse aliquid facit, quod descriptio veris in initio posita legentium animos commonere videtur de eclogis Virgilii, ex quibus duae vel tres tempus ostendunt idem. Contra si quis putat, Virgilium hoc tempore in elaborando maiore opere, Georgicorum fortasse, occupatum ab amicorum consuetudine se subtraxisse, ea talis est suspicio, ut nescias utrum neges an aias.

XIII.

Carm. IV, 13.

A d L y c e n.

Apud Duentzerum p. 225 haec leguntur: „Man interpungirt gewöhnlich v. 10, 11 nach te, besser setzt man das Komma vor te; denn nach der gewöhnlichen Abtheilung hat te beide Male eine verschiedene Beziehung, da es doch aus der Stellung wahrscheinlich wird, te sei nur des Nachdrucks wegen wiederholt. Diese Interpunction hat, wie ich jetzt sehe, Orelli.“ Sed non solus fuit *Orellius*, qui id genus interpungendi probaret; nam quum *Mitscherlichius*, *Braunhardus*, *Fea* vulgarem quam dicit ille distinctionem potiorem haberent, tamen in editione *Cruquiana* a. 1611 (a Mitscherlichio p. CXXXVII praestantissima appellata), in *Gesneriana* a 1772, et *Iahni* secunda a. 1827 bis ante pronomen *te* comma positum reperimus. Praeterea *Aldina* a. 1509, *Basileensis* a 1531, prima *Henricopetrina* a. 1545, *Coloniensis* a. 1549, Veneta a. 1559 aliam rationem sustinent, quamquam non ita multo diversam ab Orelliana, et fortasse meliorem. Ibi autem sic legimus:

Importunus enim transvolat aridas
Quercus, et refugit *te*, quia luridi
  Dentes, *te* quia rugae
  Turpant cet.

Digitized by Google

Quod genus interpungendi ideo praeferendum esse mihi quidem videtur, quod non solum maiorem illam vim, quam iteratum et bis in arsi positum pronomen *te* habere egregie sensit *Duentzer*, optime servat, sed etiam verbum *refugit*, quod probata Orellii interpunctione praecedentis verbi *transvolat* gravitatem misere quasi claudicans sequitur, pondere quodam auget necessario. Vide, quaeso, quam sit illud debile et imbecillum: *Cupido aridas quercus transvolat et refugit.* Quid? nonne satis est transvolasse? nonne etiam tanquam ποιητικώτερον est? Aspernatur enim qui transvolat Cupido. Deinde *et* particula quum eam significationem apud Horatium saepe habeat, de qua ad Od. I, 21, 14 supra scripsi, simul solet adiungere vim quandam *consecutivam*: und drum, und dadurch, und somit." Quae quidem consecutiva vis in illa quomodo lateat, non est quod doceam. cf. Klotz ad Cic. Tuscul. I, 2. p. 9. Exempla haec sunt:

Carm. I, 7, 6 Palladis urbem
Carmine perpetuo celebrare *et*
Undique decerptam fronti *praeponere* olivam

ib. I, 16, 24 Tentavit in dulci iuventa
Fervor *et* in celeres iambos
Misit furentem.

ib. I, 17, 2 Mutat Lycaeo Faunus *et* def.

cf. Carm. I, 17, 27 *et* scindat. I, 29. 2 invides gazis *et* acrem militiam *paras*. I, 30, 2. II, 2, 11 ubi vid. Orell. II, 2, 15 3, 19. 27. 6, 18. 18, 24. III. 1, 1. 3, 25. 71. 6, 42. 11, 11. 51 (und dann) 15, 6. IV, 7, 21. 13, 10. *) Eadem res in hunc locum cadit, de quo agitur: Cupido transvolat aridas quercus, et quum quasi arida quercus sis, te refugit." De verbo *refugere* cf. Virgil. Aen. VII, 618. Ovid. Med. VIII, 95. id. Heroid, 14, 50. Postea autem quod est in versu 11 *te*, id cum eodem verbo *refugit* ita coniungendum esse censeo, ut et anaphora fiat et constructio ἀπὸ κοινοῦ. Neque enim

*) Non dissimilis usus est particulae *et* ap. Virg. Aen. I, 48 et *quisquam* cet. Sic etiam apud Cicer. de imp. Cic. Pomp. c. 15.

ad verbum *turpant* referendum id esse simul nego, immo vehementer affirmo. cf. Schol. Acron. et Cruq. Hoc autem modo pulcherrima illa et mordacissima repetitio pronominis *refugit te—te* incredibile est quam congruat cum reliquis irridendi et vellicandi figuris et artificiis. In qua re non satis possumus admirari frequentem et acutam litterarum *i* copiam in primis versibus conspicuam cum sibilantibus litteris *s* et festivo ludo verborum *fis* et *vis*. Deinde animadvertendi sunt vv. 13—15 propter vocabula *nec—nec—notis*; v. 17—20 propter *quo—quo—quae—quae*; praeterea v. 1. 2 *audivere Lyce—audivere Lyce*, et v. 18 *illius, illius*. In qua re non praetermittendum est quasi quoddam certamen inter voc. *iuvenes fervidos* et *dilapsam in cineres facem*; quae verba sic intelligo. Iuvenilis aetas quasi fax est amoris; ea autem in iuvenibus ardet, quare fervidi sunt; in anu combusta plane in cineres dilabitur. Sic recte opinor Porphyrio: „*amoris facem* dilapsam ait in cineres et consumtam refrixisse;" negligentius Acro: „amisisti *) pulchritudinem sicut fax consumta in cinerem."

V. 7 Cupido in pulchris genis *Chiae* excubare dicitur; in qua re fortasse non est alienum subscribere locum *Erasmi* Adag. Chil. I. cent. V, 71: „*Risus Chius* de molli lascivoque lusu; quandoquidem et Chiorum mores taxavit vetus comoedia." Quam ob rem id nomen ab Horatio puellae inditum esse putem. Inde illud petitum esse nonne veri similius est quam a nive (χιών), quae est *Duëntzeri* opinio? praesertim quum in genis puellae excubet Cupido in iisque risus conspiciatur. Ceterum bene de eius modi nominibus *Duentzer* p. 201.

---

*) Sic lege *amisisti*, non quod Braunhardus dedit *misisti*. Illud verum est in edit. Basil. a. 1527, in prima Henricopetr., et in Venet. a 1559.

Digitized by Google

XIV.

Epod. 2, 13. 35.

Bentleius pro eo quod est in codicibus *inutilesque* et *pavidumque* recte opinor scribi iussit *inutilesve*, *pavidumve*; persuasit *Cuninghamio*. Contra *Fea* nulla id auctoritate aut necessitate factum affirmat. De auctoritate concedo, de necessitate nego. Auctoritas vero in his rebus nulla fere est; hac enim permutatione quae est frequentior? Hanc autem consuetudinem observasse mihi videor, quod negantes particulas aut disiunctivas *que* particula sequitur, quum non tam nova aliqua pars accedit quam eiusdem rei partes alia aliam excipiunt; contra quum superiori rei aliena vel similis etiam additur, tum *ve* particulam usurpari. Veluti

Carm. III, 2, 16 „Nec parcit imbellis iuventae
Poplitibus timido*que* tergo.

quod *Orellius* contra tres suos codices et alios recte scripsit. Nam quod Bentleius dicit: „*aut poplitibus aut tergo*, non utrisque: quid enim opus, ut bis eundem perculeret mors, cuius unus quivis ictus letalis est?“ in eo malum acumen est, non veritas. Poplites et tergum fugientem militem totum significant, et *timidus* adiectivum non tergum solum sed poplites quoque ornat *). Neque minus recte Od. I, 35, 20

nec severus
Uncus abest liquidum*que* plumbum

quum *liquidumve* praetulerint editt. Ven. 1492. Ascens. Locher.

---

*) Cuius rei testimonia haec sunt: Od. I, 1, 2 (cf. II 17, 4). I, 3, 30. I, 5, 6 (non *deos* solum *mutatos*, sed *fidem* quoque mutatam flebit puer). I, 31, 16 (etiam cichorium leve. cf. Plin. H. N. XX, 8) I, 34, 8. II, 19, 24. III, 11, 39 (nam *socer* quoque scelestus) IV, 14, 4. cf. Orelli ad Od. II, 8, 3. De Cicerone id fieri posse negat *Klotz.* ad Tuscul. Disp. I, 12. p. 33; concedo; sed apud Horatium poetam nihil est quod prohibeat.

Digitized by Google

Cun. Sanad. Uncus enim et plumbum non sunt disiungenda. Sed cum *Fea* contra *Orellium* carm. II, 12, 6 libenter scribam

domitos*ve* Herculea manu.

Nam quod docet hic *Orellius*, ubi nulla oppositio significetur, excipere inter se partic. *non* vel *nec-que*; ubi utrumque membrum distinguatur, *nec-ve*, id quum prope verum videatur, ipsi ut *ve* particulam teneret debuit persuadere. Ab eodem tamen viro docto *que* bene receptum est carm. III, 1 20. 23. 30, quum avium citharaeque cantus sonorum dulcedinem efficiat, humiles domus cum umbrosa ripa agrestem habitationem, vinea autem et fundus rusticorum hominum curam. Perperam deinde scripsit *Braunhardus* Bentleium, Cuningh., alios secutus ibid. v. 44

nec Falerna
Vitis Achaemenium*ve* costum.

Falernum vinum et Persicum unguentum comissationis vinculo coniunguntur. Vid. supra ad Carm. IV, 12. Praeceptum autem quod *Braunhardus* defendendae lectionis causa subiungit: „Est enim cum aliis poetis tum in primis Horatio sollenne, in distributione pro *nec* s. *non* repetendo ponere *aut* s. *ve* (non *que*) cf. II, 5, 20. III, 23, 5. 30, 4. IV, 9. 17," id nescis utrum callidius dicas an inanius. Scilicet id ipsum quod est controversum incertum ab eo relinquitur, quoniam in singulis locis utrum sit distributio an coniunctio quaestio oritur. Praetera dicat velim vir doctus, qui factum sit, ut quum vera sit sua doctrina, apud Horatium tamen legamus Carm. III, 30, 4

Quod non imber edax, *non* Aquilo impotens
Possit diruere *aut* innumerabilis
Annorum series *et* fuga temporum,

et apud Virgil. Aen. I, 545

Rex erat Aeneas nobis, quo iustior alter
Nec pietate fuit *nec* bello maior *et* armis

et ibid. II, 36

Aut pelago Danaum insidias suspectaque dona
Praecipitare iubent subiectis*que* urere flammis
Aut terebrare cavas uteri et tentare latebras

Digitized by Google

et Aen. V, 784 ubi *Wagner fractisque*, cf. eius Quaest. Virgil. XXVI. 10. cf. Aen. VI, 616. — Neque audiendi sunt ii, qui carm. III, 4, 4

seu fidibus cithar*ave* Phoebi

scribi volunt, quamquam omnes id suadent Orellii libri. Recte etiam III, 24, 39 scribitur

nec Boreae finitimum latus
Duratae*que* solo nives
Mercatorem abigunt.

neque ibi quidquam est quod sciam varietatis. cf. III, 29, 46. IV, 8, 16.

Ve particula bene legitur, ubi novum exemplum, novum membrum orationis quod per se sit positum, accedit. Vide Carm. I, 23, 10

Non ego te tigris ut aspera
Gaetulus*ve* leo frangere persequor.

et II, 5, 20 „Gnidius*ve* Gyges, quod recte *Braunh.* et *Orellius* contra Feam; iidem optime ex Bentleii correctione III, 2, 28 fragilem*ve*. Praeterea *ve* scribendum censeo. Od. IV, 2, 37. 4, 13. 4, 63 sq. 9, 17. 20. 32. 13, 17. 14, 1. 15, 23. Epod. 2, 50. Gravis locus est Carm. III, 27, 4 ubi quod *que* partic. praecedentem *aut* sequitur, id ideo factum est, quia *vulpes* cum *lupa* communi epitheto *decurrens* coniungitur. — Iam ut unde egressus sum redear, manifestum erit Bentleio corrigendi necessitatem impositam fuisse, quum Epod. 2, 13 et 35 *ve* partic. contra auctoritatem codicum in *que* mutaret. Transitur enim a re pecuaria ad putationem et ab aucupio ad venationem. Cf. I, 7, 1—4. 12, 5. De frequenti illarum particularum permutatione vid. *Markland.* ad Stat. Silv. I, 2, 158 p. 179 ed. Lips. et *Wagner.* Quaest. Virg. XXXVI, 7. p. 573. et XXXIV. 1. p. 552 sq.

Digitized by Google

XV.

Epod. 2, 16.

Aut tondet infirmas oves.

Ovidius Ibid. 42: „Pax erit haec nobis, donec mihi vita manebit,
Cum *pecore infirmo* quae solet esse lupis"

sed diversus locus est, quoniam *pecus infirmum* i. e. oves ponitur contra lupos, quibus oves propter virium imbecillitatem resistere non possunt. Aliter etiam *Virg.* Georg. III, 299 *molle pecus*. cf. ibid. 470

„Non tam creber agens hiemem ruit aequore turbo
Quam multae pecudum pestes."

Acro in edit. Braunh. haec habet: *„aut quae aestu velleribus premantur aut relictas taedio.*" Contra tres editiones veteres, quas in hanc rem contuli, Henricopetr. a 1545, Venet. a 1559 (apud Ioann. Mar. Bonellum), Basil. a. 1527 (ap. Valent. Curion. Cal. April.) brevius sic: *quae in aestu velleribus premantur*, addita part. *in*, omissis his *aut relictas taedio.* Uberius *Comment. Cruq.* „aut tondet infirmas oves] nam oves aestate lanitondium patiuntur. infirmas] proprium epitheton ovium, quae neque sui curam gerere neque saluti suae providere sciunt: praecique cum onustae sunt velleribus suis et gravatae: nisi maluerimus naturaliter dicere infirmas i. e. delicatas, quia natura oves sunt infirmae et morbis obnoxiae." Inde *Mitscherlichius* „imbelle, molle pecus, uti passim audiunt. Alii: quae morbis sunt obnoxiae." Sic *Orellius* quoque: imbecillas multisque morbis obnoxias" et *Duentzer* p. 320 „die schwachen Schafe". At vereor ne morbis obnoxiae oves non magis laudentur ab homine, qui quid rustica vita gratum iucundumque habeat diligenter et copiose praedicaturus sit, quam *Baxteri* foeda interpretatio: „Rustici detondent aegrotantium ovium clunes, cum ob insueta pabula fluore ventris tententur, quod non viderunt interpretes" inter delicias rusticas decore possit defendi. Quare iacentem duo-

Digitized by Google

rum scholiastarum (Porphyrio enim nihil) interpretationem longe praefero, *quae in aestu velleribus premantur* easque puto oves infirmas, quae vellerum longitudine et copia ne pedibus libere possint uti prohibentur. cf. Ovid. Met. VI, 26

> Pallas anum simulat falsosque in tempora canos
> Addit et *infirmos baculo* quoque *sustinet artus.*

ibid. XII, 570

> Decidit in terram non concipientibus auras
> *Infirmis pennis.*

Apud Horatium verbum *tondere* qua re infirmae factae sint oves significat. — Id cui probabile visum erit, is magis cupiditatem etiam lucri, qua foeneratorem sibi constantem in hac quoque rusticae voluptatis descriptione incensum audimus, percipiet. Unde sit altera Acronis interpretatio, quae apud Braunhardum legitur: *aut relictas taedio*, nescio; scio tamen esse eam falsissimam. Nam quisquis est qui eam excogitavit, is hoc videtur voluisse: foeneratorem in sinu sibi gaudere, quod morbo etiam correptas oves, scabiosas (taedio relictas), quarum carne non vescatur, tamen tondere possit; ne totum pecus amissum videatur. Verum Acronis ea verba non videntur esse; quoniam tabo exstinctas oves non tondebant antiqui, ut apud Virgilium Georg. III, 559 sqq.

> Nam neque erat coriis usus, nec viscere quisquam
> Aut undis abolere potest aut vincero flamma;
> *Ne tondere quidem morbo illuvieque peresa*
> *Vellera* nec telas possunt attingere putres.
> Verum etiam invisos si quis tentarat amictus,
> Ardentes papulae atque immundis olentia sudor
> Membra sequebatnr cet.

Quod in edit. Braunh. duplex *aut* part. est, nihil nos moratur; superior enim addita est cum alieno illo additamento.

Totius carminis argumentum *Bonfinis* bene sic explicavit: „non posse quempiam avaritiae et malis artibus assuetum illis repudiatis bonas sectari, quamquam illarum desiderio interdum affici videtur et illas probare“.

Digitized by Google

XVI.

Epod. 4, 7 sqq.

Videsne Sacram metiente te viam
Cum *bis trium ulnarum toga*
Ut ora vertat huc et huc euntium
Liberrima indignatio?

Sic editiones recentiores emendationem *Barthii* secutae; codices omnes *bis ter*, nisi quod duo Orelliani sic: *bis* .t. *ulnarum*. De qua codicum lectione *Bentleius*: „Nunquam, inquit, vidi nequiorem lectionem tam impune omnes interpretes lusisse. Quid enim, amabo, *bis ter ulnae?* quis omnium mortalium sic locutus est? Sine dubio legendum „*cum bis trium* ulnarum toga, hoc est, cum *sex* ulnarum toga" et deinde „Atqui *sex ulnae* sunt *bis tres*, non *bis ter ulnae*, quae mera est barbaries". Laudat deinde tres locos: *Lactant.* in carm. de Phoen. *per bis sex ulnas; Silius Italicus* XVII *per bis octonos annos*; *Prudent.* Apotheos, 1001 *bis terna sabbata.* Est autem late patens poetarum latinorum usus, ut in significando aliquo numero ambage quadam *) utentes adverbium numerale ponant. Qui usus quum in omni numerorum genere h. e. in numeris cardinalibus, ordinalibus et ipsis adverbiis numeralibus conspiciatur, longe tamen frequentissimus est in cardinalibus. Atque in his duplicem rationem placuisse loci a Bentleio appellati ostendunt; veluti ut dicerent *duodecim annos*, potuerunt et *bis senos annos* et *bis sex annos.* Iam vero illa ratio, qua cum adverbio distributivus numerus coniungitur, quo accommodatior est ad naturam adverbii, hoc etiam est frequentior. Varius autem usus ut accuratius intelligatur, subiiciam locos poetarum quos inter legendum mihi notavi.

---

*) Etiam *Cicero,* sed singulari de causa. cf. Somn Scip. c. 2 „Nam cum aetas tua *septenos octies* solis anfractus reditusque converterit, duoque hi numeri, quorum uterque plenus alter altera de causa habetur etc. — Aliter Cic. N. D. II, 18 „Quae si *bis bina* quot essent didicisset Epicurus, certe non diceret".

Digitized by Google

I. Numerus cardinalis

per *adverbium cum cardinali* coniunctum.

Ennius ap. Cic. de divin. I, 48 *ter quatuor* corpora
Horat. Epod. 9, 17 *bis mille* *Sat.* II, 3, 116 *ter centum*
Epist. II, 1, 24 *bis quinque*
Virgil. Georg. I, 15 *ter centum* *Aen* IX, 161 *bis septem*
Aen I, 71 *bis septem* IX, 272 *bis sex*
I, 272 *ter centum* IX, 370 *ter centum*
VII, 275 *ter centum* X, 182 *ter centum*
VIII, 518 *bis centum* XI, 9 *bis sex*
VIII, 716 *ter centum* XII, 163 *bis sex*
Aen. XII, 899 *bis sex*
Ovid. Met. V, 207 *bis centum.* id. Ibid. 1. *bis quinque*
Propert. II, 19, 7 *bis sex.* id. III, 5, 40 *bis sex*
Martial III, 40, 1. *ter quinquaginta.* id. X, 71, 5 *bis sex.*

II. Numerus cardinalis

per *adverbium cum distributivo* coniunctum.

Horat. Carm. III, 19, 14 *ternos ter.* id. *C. S.* 21 *undenos decies*
epist. I, 20, 27 *quater undenos.* ibid. II, 2, 33 *bis dena.*
Virgil. Buc. I, 44 *bis senos.* id. *Aen.* I, 381 *bis denis*
Aen. I, 393 *bis senos* II, 126 *bis quinos*
V, 561 *bis seni* VIII, 47 *ter denis*
X, 213 *ter denis* XI, 133 *bis senos*
XI, 326 *bis denas*
Ovid Met. V, 50 *bis octonis.* ibid. VIII, 243 *bis senis*
Tibull. I, 4, 69 *ter centenas* id. III, 5, 28 *ter quinos*
Propert. II, 9, 3 *bis denos*
Martial. I, 12, 1 *bis quina* IV, 26, 2 *tricenos bis*
I, 44, 1 *bis triceni* , *vicenos ter*
II, 1, 1 *ter centena* IV, 37, 5 *ter ducena*
IV, 40, 5 *ter denas* IX, 43, 6 *bis senos*
IV, 76, 1 *bis sena* IX, 51, 3 *bis denis*
IV, 76, 2 *bis duodena* IX, 77, 3 *bis denis*,
V, 27, 3 *bis septena* IX, 94, 7 *bis quinu*
VI, 28, 8 *bis senis* X, 24, 7 *bis novenos*

Digitized by Google

Martial.	VI, 73, 10 *bis septenis*		X, 41, 7 *bis dena*
	VII, 14, 9 *ter denos*		X, 75, 3 *bis quina*
	VII, 40, 6 *ter senas*		XI, 76, 4 *bis centena*
	VII, 53, 3 *bis senos*		XII, 18, 16 *ter denos*
	VII, 63, 9 *bis senis*		XII, 55 8 *binos quater*
	VIII, 66 3 *bis senos*		XII, 66, 1 *bis quinquagenis*
	VIII, 78, 13 *ter dena*		XII, 75, 8 *quinquies ducena*
	IX, 32 3 *quater binos*		
Stat. Silv.	I, 2, 174 *bis senos*		III, 3, 146 *bis octonis*
	I, 4, 53 *bis senis*		IV, 1, 1 *bis octonis*
	III, 1, 18 *bis seni*		V, 2, 12 *octonos bis* (ubi v. Markl.)
id *Achill.*	II, 395 *bis senos*		
Theb.	XII, 811 *bis senos.*		

Quibus locis addo inscriptionem in lapide sepulchr. (Iahn. Ann. phil. 1839. XXVII. 2 p. 213) *bis denos per annos.*

III. Numerus ordinalis.

Martial. I, 16, 3 *bis trigesimus* consul
IV, 57, 4 *bis decimus* lapis
VII, 65, 1 *bis decima* bruma
Stat. Silv. IV, 1, 9 *bis sextus.*

His addendi sunt loci, in quibus numerus ordinalis significatur *distributivo* numero et *adverbio*; ibi autem distributivi singularis est, res satis memorabilis, quandoquidem singularis distributivi non tam ordinalis numeri quam multiplicativi munere fungitur (cf. Stat. Silv. II, 1, 184. V, 2, 136. 3, 92. 95. et Markl. ad Stat. p. 349. ed. Lips.).

Martial. XIV, 17, 1 *bis seno* puncto
Stat. Silv. V, 5, 25 *ter dena* luce
Auson. epitaph. Glauc. „Laeta *bis octono* tibi iam sub *consule* pubes.

Digitized by Google

IV. Adverbium numerale.

Martial. I, 12, 2 *bis decies* (=vicies) bibis.
I, 59, 6 *bis decies* sestertiolûm.
III, 22, 1 *bis trecenties.*
IV, 51, 3 *bis decies.*
IX, 83, 5 *bis decies.*

Qui loci omnes pecuniam vel nummorum summam indicant. Neque aliter apud *Rhemnium Fannium* de pond. et mens. v. 86

„Est et *bis decies* quem conficit amphora nostris
Culleus: hoc nulla est maior mensura liquoris".

i. e. Est et culleus, quem amphora *bis decies* etc. sumta conficit; nam culleus viginti amphorarum erat.

Quorum locorum testimoniis satis credo confirmatur posse dici latine *cum bis trium ulnarum toga* i. e. cum sex ulnarum toga, non posse *cum bis ter uln. toga.* In qua re adest memorabilis duorum scholiastarum et Isidori auctoritas haec: Porphyr. ad. h. l. „h. e. cum sex ulnarum toga: hanc autem *iustae* togae mensuram *) intelligendum est". Schol. Pers. V, 14. „Mensura togae *iustae* senas ulnas habebat". Isidor. Orig. XIX, 24: „Mensura autem togae *iustae,* si sex ulnas habeat". De quibus *Orellius* haec: „Vide ne ex hoc ipso Horatii loco parum intellecto repetitum sit, cum manifesto hic designetur toga insolitae mensurae, quae propter longitudinem ad imos talos demissa *metiatur* viam, id est, eam semper tangat, radat". Sed accedit quartus testis *Comment. Cruq.* ad Hor. epist. I, 18, 30 *arta decet sanum comitem toga:* „modica; habebant enim antiqui patres pro qualitate opum togas, quae erant *bis ter,* id est, sex ulnarum vel quinque;" in quo loco quod scriptum est *bis ter* pro

*) In edit. Venet. a. 1559 legitur *mensura;* eadem Acronis verba ad h. l. haec habet: „*Cum bis ter* vulnarum toga] sex enim *vulnis* (sic) habebat diffusam togam". Quid hoc? Num latet hic alia lectio cum *bis terve ulnarum* toga? Sed nihil est.

Digitized by Google

bis trium vel *bis ternarum*, id ex hoc loco suntum esse demonstrat additus numerus *quinque*. Commentator enim quum simpliciter scribere vellet: *quae erant sex ulnarum vel quinque* male memor huius loci scripsit quod hic legit *bis ter*. Haec igitur verba id tantum persuadent, in exemplo quo commentator uteretur ex peccato scriptum iam fuisse *bis ter* pro *bis III* i. e. *bis trium*. Ut igitur hic locus commentatoris ad defendendam lectionem *bis ter* nihil videtur posse afferre, sic certum est, quatuor illa testimonia ex male intellecto loco Horatiano profecta non videri, sed sex ulnas *iustam* togam vere effecisse. Is autem qui hoc carmine castigatur, sive est Sextus Mena sive Vedius Rufus sive alius ignobilior etiam, quoniam vile olim mancipium fuit, nonne satis gloriatur, quum toga indutus, quales patres soli vel divites habebant, incedit et ita incedit, ut quoties gressum faciat toties latitudinem togae totam aperiens sacram viam quasi metiatur? Scholiastae autem non insolitae mensurae togam voluerunt quum dicerent iustam, sed – id quod v. *iustus* significatio ipsa fert — plenam, perfectam, cui nihil quod delicato etiam homini gratum videri possit deest. Sic nos quoque quum dicimus ein vollständiges Kleid, quae vestis locupletem hominem prodit. Pauperiores enim artis, modicis togis erant contenti, quum praesertim illud genus vestimentorum parsimoniam admitteret. Scilicet hi non curabant rariores aut minores rugas et sinus; aut togam non esse iustam. Libertum autem servilis conditionis tam memorem, ut in toga quae libertatem proderet iactantiae et arrogantiae causam inveniret, cuius quisque gresssus quam ampla sit illa, quam iusta gloriose ostenderet, quis potuit ferre? Quapropter ego quidem scholiastas non vitupero, quod Horatii verba male intellexerint; immo videntur recte intellexisse. Sed omnino ex hoc eos loco quae dixerint repetisse quomodo quaeso defendas? Fortasse etiam aliunde. Non omnes ad eundem fontem concurrunt. Ceterum *Duentzer* p. 228 hanc novam interpretationem proposuit codicum lectionem *bis ter* defendens: „Sollte man aber nicht gesagt haben toga ulnarum e i n e

ellenlange Toga, wo sehr wohl ein Adverbium zuzusetzen war? Auch erklärte sich der Ausdruck, der freilich abweichend ist, sehr gut, wenn man annimmt, bis bezeichne die Länge, ter die Breite, wo *trium* nicht deutlich gewesen sein würde". Neutrum tamen concedam. In illo enim, ut largiar potuisse dici latine *toga ulnarum* (quod non magis dixerunt quam *homo ingenii* vel *vinum annorum* pro *vin. multorum annorum*), tamen non intelligo, qua adverbium ratione possit accedere. Alterum autem videat ipse, quomodo congruat cum iis, quae docte de togarum ratione et genere disputavit *Becker* in Gallo T. II. p. 81 sqq. — Iam vero ne quidquam intentatum relinquam, docent exempla supra allata, *bis ter* recte dici de pecunia. Quid, si poeta non amplitudinem aut longitudinem togae velit indicare, sed ingens eius vestis pretium? Dicimus enim recte *bis decies dare*, similia. cf. Martial I, 59, 6. III, 22; 1. IV, 51, 5 ubi pro accusativo illa habenda sunt. Singularius etiam hoc est Mart. IV, 83, 5

bisque tuum decies non toto tabuit anno;

ubi *bis decies* ut substantivum nomen cum adiectivo *tuum* coniunctum. Potest fortasse dici *bis ter ulna*, ut *bis ter* genitivus esset et pretium significaret; deinde *toga bis ter ulnarum* esset toga, cuius singulae ulnae essent *bis ter* i. e. sexies; subserica; nam holoserica veste primus Heliogabalus usus esse dicitur apud Lamprid. c. 26. Fuisse autem togas sericas a Quintil. XII, 10, 47 docemur. Sed pretium omnem veritatis speciem excedit, neque quidquam ego huic coniecturae tribuam probabilitatis; quamquam si quis tenere vellet codicum *bis ter*, non posset facere quin in hanc immensitatem pretii aberraret. Ne purpura quidem bis tincta, *δίβαφα*, tanto pretio stetit. cf. Plin. H. N. IX, 39 „Nepos Cornelius qui divi Augusti principatu obiit: Me, inquit, iuvene violacea purpura vigebat, cuius libra denariis centum veniebat, nec multo post rubra Tarentina. Huic successit dibapha Tyria, quae in libras denariis mille non poterat emi". Ingens pretium earum rerum indicatur hoc loco: Plin. H. N. VIII, 48: „Metellus Scipio tricliniaria Babylonica sestertium

Digitized by Google

octingentis millibus venisse iam tunc posuit in Capitonis criminibus; quae Neroni principi *quadragies* sestertio nuper stetere". (*quadragies* imperante Augusto = 795191 franc. gall.)

XVII.

De Epod. 6.

Octavi versus varia in codicibus lectio est; scriptum enim est aut *praecedet* aut *praecedat* aut *procedet* aut *procedat* aut etiam *procedit;* frequentissima sane similium formarum mutatio. In editionibus quod sciam omnibus (Ald. 1509. Basil. 1531. Henricopetr. 1545. Colon. 1549. Venet. 1559. Cruq. 1611. Bentl. Gesner. Mitscherl. Fea. Iaeck. Iahn. Braunh. Orelli.) *praecedet* legitur, neque praeter *Bothium* (in adnott. ad. edit. Fea-Both.) quemquam novi qui a communi editorum consensu discedere ausus sit. Mea autem sententia quum magnopere inclinet ad comprobandam et defendendam aliam lectionem, quae immerito ut puto neglecta iacuit, de argumento carminis quid mihi persuaserim simul ostendam. *Praecedet* igitur verbum *Iahnus* sic interpretatur: „Insectabor omnes feras, quaecumque praecesserint et in conspectum mihi venerint". *Orellius*: „*praecedet* a me e lustro excitata et in fugam coniecta. Qui autem fugit, *praecedit* insequentem" *Mitscherlichius*: „quamcunque feram insectabor". Consentiunt igitur viri docti in interpretanda significatione verbi, ita ut impetum ab Horatio quoque in alios fieri audiant. Id autem quomodo cadit in pastoralem canem, in *amicam vim pastoribus,* cum qua se suamque naturam comparat Horatius? Hi enim a gregibus propulsant aggredientes feras, propulsas etiam persequuntur ut excitatam iram expleant; verum ultro neque quaerunt feras neque persequuntur. Et omnino neque pastorales canes neque venatici sponte aut non

excitati a dominis irave quadam aliena inflammati ferarum lustra odorantur in iisque cubantia animalia excitant; quod quum ipsa canum natura plerumque non ferat, a poetae cogitatione alienum videtur. Hoc enim quoniam apertum est, et poetam ipsum et inimicum, quisquis est qui castigatur, cum cane comparari, poetam cum pastorali ac bono, inimicum cum venatico ac malo, videndum maxime est, qualem quasi imaginem in carmine pictam videamus. Cogitemus igitur, venatores ad venandum secum duxisse magnum canem vehementi latratu parem fortitudinem promittentem *(tu cum timenda voce complesti nemus)*; is autem promissa tam male praestat, ut quum in silvam perventum sit et ipse a domino ad excitandas feras missus, muneris statim obliviscatur neque ferarum vestigia sed *proiecti cibi* odorem sequatur, fortitudinis autem in allatrandis viatoribus forte praetereuntibus egregium specimen edat *(quid immerentes hospites vexas canis, ignavus adversum lupos?)*. Tantae autem ignaviae testis est alter canis prope pascentis gregis custos; qui iusta ira commotus concrepat statim latratorem et „in me, clamat, in me inanes verte minas; me pete, non illos magnitudine tua et clamore perterritos neque remorsuros. Ego enim, quaecunque *procedet* fera, sive lupus est sive malus et ignavus ac superbus canis, eam adoriar cogamque ut reflexa sub alvum cauda quid pedum cursu valeat ridicule ostendat". Hanc puto esse tabulam quandam ab Horatio propositam; describitur ea usque ad v. 11. Inde relicta hac imagine triplice ratione quid sentiat declarat; proverbiis et exemplo utitur et ita quidem, nihil ut inde possit auferri nisi si totum simul perdatur. Duo igitur extremi versus ut satis defensi videntur ab impetu olim a *Guieto* in eos facto, sic ne *Duentzero* quidem p. 324 totum carmen vituperanti subscriptor accedam. Hoc enim eius quum sit iudicium: „das Gedicht hat keine wahre Vollendung in sich; der Ausdruck ist nicht ganz treffend, viel Ueberfluß und Ueppigkeit der Darstellung, Schroffheit in den Bildern, so daß es gewiß eine der allerfrühesten Oden des Dichters ist", non possum non profiteri, earum criminationum

Digitized by Google

me quidem nihil sensisse neque intelligere, quae maior possit in carmine concordia desiderari. Ad hanc autem concordiam obtinendam multum confert *procedet* verbum; alterum *praecedet* omnem perdit. Deinde recte intelligamus necesse est v. *proiectum* v. 10, de quo apud *Orellium* haec: „*proiectum* hic prima significatione: ita iactum, ut ante pedes tibi cadat. Magis solitum esset *obiectum*"; sed haec falsa opinio, rectius iam apud *Duentzerum* p. 323 „weggeworfener Fraß". Id cur probem, ex iis patebit, quae sunt de carminis ratione supra disputata.

XVIII.

In nonnullis locis quomodo videatur interpungendum esse ostenditur.

Magnopere nobis dolendum est, quod inter tot viros qui in corrigendis edendisque libris antiquis magna cum laude elaboraverint, nemo adhuc inventus sit qui difficillimae distinguendae orationis arti maiorem quam adhuc factum est diligentiam et curam navaret; inde enim in editionibus nostris veterum librorum tanta est diversitas, tanta perturbatio, tanta etiam perversitas, ut quum saepissime patrii sermonis naturam latino quoque et ei quidem invito et repugnanti datam videamus, noceat magis quam prosit interductus. Quantopere autem antiquorum hominum ratio a nostra consuetudine recedat, quum per se veri simile est tum apertis testimoniis probatur. cf. *Hand.* in arte lat. scrib. 113 (ed. prim.). Et multa quidem et apud Graecos et apud Latinos inveniuntur, quae si velles ita coniungere aut disiungere ut nostra nobis suaderet lingua, vix posses magis iniuste facere. Nam ut e Graecis unum commemorem, quam attractionem grammatici vocant ei quae potest esse concordia cum distinguendae ora-

Digitized by Google

tionis modo qui nunc est? Cui quidem loco etsi in dies magis satisfacientes videmus editores, in bonis tamen et recentibus editionibus tam saepe et tam graviter in hoc genere peccatum est, ut non modo verba scriptorum non illustrentur, sed accuratiori linguarum scientiae officiatur. Est commune hoc omnium fere scriptorum incommodum; quod quantopere in Horatii quoque carminibus sentiatur paucis exemplis indicabo. Ac valde quidem mirandum est, quod apud *Gesnerum*, *Mitscherlichium*, *Iahnum*, *Orellium* Carm. I, 2, versum 42 sic divisum legimus

Sive mutata iuvenem figura
Ales in terris imitaris, almae
Filius Maiae, patiens vocari
Caesaris ultor.

in quo versu quum *ales* vocat. non possit recte seiungi a *filius* nomine, ad quod referendum est, tamen doctissimi illi viri comma perperam post *imitaris* posuerunt. Qua quidem ratione perversior etiam est *Braunhardi*, qui *Ianium*, *Vanderburgium*, *Iaeckium*, *Feam* imitatus sic scribendum curavit:

Sive mutata iuvenem figura,
Ales, in terris imitaris, almae
Filius Maiae, patiens vocari
Caesaris ultor.

quo facto tanta crudelitate in sententiam quasi saevitum vides, ut non modo discipuli sed ne experti quidem qui sunt homines dispersam membrorum collectionem facilem habeant. Quanto melius in editione Basileensi a. 1531

Sive mutata iuvenem figura,
Ales in terris imitaris almae
Filius Maiae patiens vocari
Caesaris ultor.

Sic prima quoque Henricopetr., Ald. a. 1509., Colon. a. 1549. cf. Carm. III, 12, 4. Stat. Theb. IV, 794. Markl. ad Stat. Silv. III, 4, 88. Satius quidem erit totam stropham remotis omnibus signis continuare.

Simillimus est locus carm. I, 32, 4, ubi quos vidi omnes huius aetatis editores male scripserunt

age, dic Latinum,
barbite, carmen,
Lesboo primum modulate civi.

Ibi quoque haec quatuor commata exstinguenda sunt. Egregie in Aldina unum tantum est, post *carmen;* eadem aliorum quoque veterum editionum ratio, nisi quod commatis loco colon positum. Potest etiam conferri *Statii* locus silv. I, 2, 33

pone o dulcis suspiria vates

qui locus non magis quam Horatii signa fert interpunctionis; et Horat. Sat. I, 2, 17, ubi ab Orellio scriptum est

Maxime, quis non,
Iupiter! exclamat, simul atque cet.

deinde Virgil. Bucol. 3, 79, ubi in edit. Wunderlich. legitur.

Et, longum, formose, vale, vale, inquit, Iola.

et ibid. 8, 78

Necte, Amarylli, modo, et, Veneris, dic, vincula necto.

cf. Aen. I, 735. Wagner ad Aen. VI, 509. Qui loci quomodo distinguendi sint, docet maxime hic Horatii, Sat, II, 6, 20, nam vocativus pro obiecto quasi est neque commatis separandus a verbo. cf. supra ad Od. II. 20. In ea enim re latina lingua nobis praestitit, quod quum liberius construendarum sententiarum genus egregie cum rariore signorum usu congrueret, scriptoribus, imprimis poetis, campus pateret ad disponenda et ordinanda verba latior. Orta est enim quaedam ambiguitas, non vitiosa sed quae poeticam orationem magnopere augeret ornaretque; ut constructionis quam *ἀπὸ κοινοῦ* appellant origo et natura hac demum ratione saepe intelligi possit. Sic in veteribus editionibus carm. I, 3, 6 recte scriptum videmus

Navis, quae tibi creditum
Debes Virgilium finibus Atticis
Reddas cet.

Digitized by Google

Nam Porphyrio: ambiguum, inquit, utrum *debes finibus Atticis* an *finibus Atticis reddas.* Nostri contra editores alii ut *Braunhardus* comma post *Atticis*, alii ut *Orellius* post *Virgilium* posuerunt. Utrumque opinor prave. Ambiguitas enim non inconsulto admissa ab Horatio; sic enim molestus ac frigidus pronominum usus facillime vitatur.

Carm. I, 10, 9 Te, boves olim nisi reddidisses
Per dolum amotas, puerum minaci
Voce dum terret cet.

Sic omnes quas vidi editiones praeter Aldinam et Gesnerianam, quae superius comma post *Te* pron. non habent. Et recte quidem; siquidem non potest ferri, *olim* particulam, quae necesse est coniungatur cum verbis *terret* et *risit*, duorum commatum carceribus ab his avulsam verbo tribui alieno. Quapropter alteram quoque virgulam post *amotas* tollendam censeo. Prodit hic quoque ordo verborum latinae linguae maiorem libertatem et praestantiam.

Difficilis locus carm. I, 14, 15 optime ex Henricopetrina prima sic scribitur eiectis signis

Tu nisi ventis
Debes ludibrium cave.

Reliquae editiones aut unum aut duo commata receperunt; quae quidem ratio quam sit perversa eo ostenditur, quod in explicanda verborum constructione mirum quantum fluctuant interpretes. *Orellii* autem opinio, mixtas esse duas constructiones, vix cuiquam placebit. Est iterum illud poetae artificium, quo idem nomen inter duo verba collocatum utriusque obiectum est quod vocant: Cave ludibrium nisi debes ludibrium. Dicimus enim latine *cave canem* similia. cf. Sat. I, 4, 85. De re vid. Quaest. part. I, p. 27 sq.

Insequentis carminis tres sunt loci recta interpunctione sanandi; et primum quidem v. 4 comma post *ventos* videtur ineptum esse, ne *obruet* verbum a nomine *Nereus* prave separetur; deinde apud *Orellium* v. 13 post *ferox* idem male positum; tum v. 29 quod est post pron. *tu*, eadem de causa

non magis ferendum. Paris enim et cervus, quocum ille comparatur, ita quasi coaluerunt, ut quid de hoc, quid de illo dictum videatur, vix possis dignoscere.

Carm. I, 31, 9. recentiores quidem editiones bis divisam habent sententiam:

Premant Calena falce, quibus dedit
Fortuna, vitem;

et *Mitscherlichius*, quem ducem religiose sequitur *Braunhardus*, *quibus dedit fortuna* dicta esse ait pro *quibus hoc datum est*, *quibus licet*. At rectius hic quoque commata tolluntur, ut accusativus *vitem* non *premant* solum verbum sequatur sed etiam alterum *dedit*: ,,premant vitem ii quibus Fort. dedit vitem''. Est igitur eadem res quam supra I, 3, 6 invenimus; brevior et poetica oratione dignior constructio, ne exile pronomen *eam* in auxilium vocetur. In veteribus editionibus post *fortuna* comma non est.

Carm. I, 29, 5. non bene factum puto ab Orellio, quod interrogationis signum a *Mitscherlichio*, *Braunhardo*, *Jahno* positum *Ianium*, *Feam*, *Iaeckium* secutus in punctum mutavit. Ita magnopere imminuitur festiva et amabilis ironia, quam in carmine inesse ipse sensit. Totum carmen ex interrogationibus compositum est; ut aliud quoque huius libri carmen, octavum.

Carm. III, 10, 1. Extremum Tanain si biberes, Lyce
Saevo nupta marito.

De hoc loco *Duentzeri* p. 90 not. recta videtur sententia; consulto enim ita factum est a poeta, ut qui versus legat nesciat, utrum iam nunc Lycen saevo marito nuptam dicat an *nupta* part. ad. sententiam hypotheticam pertineat; quae aliorum opinio est, ut *Braunhardi*. In qua re ne nobis ipsi vim inferamus neve tollatur dubitatio, interpungendo plane abstinendum censeo.

Digitized by Google

XIX.

Disputatur de iis locis, quibus verba affirmare res negari dicuntur.

De Archyta Horatiano quum supra scripsissem, uberius me de iis locis disputaturum pollicitus sum, in quibus verba dicuntur affirmare, res negari. Et *Heynius* quidem ad Hom. Il. X, 98 T. VI. p. 25 „Plura, inquit, in prisco sermone occurrunt, in quibus pro defectu et absentia rei ipsa res ponitur, cuius generis multa in lyricis et tragicis animadverti possunt" In quam rem consensit vir antiquarum litterarum peritissimus, *Matthiaeus* in gramm. T. II. p. 1308 (ed. 2da). Quos quidem duces secutus *Gerber* in disput. de Archyta Horat. p. 10 eam rem non usitatam solum Graecis et Latinis sed propriam ex communi humanae mentis natura ait esse profectam. Quodsi verum est, quis est quin cum magno quodam eidemque versuto homine linguam humano generi non ad aperiendum sed ad obtegendum animum, ad celandam voluntatem datam esse a divino numine dicat? Praeterea usus ut aiunt tyrannus esset vere. Ex iis qui hac aetate de antiquis litteris scripserunt, istam rationem maxime usurpavit idem *Gerber* l. l., illustrare conati sunt, et *Reisigius* et qui eius praelectiones grammaticas edidit *Hausius*. cf. Reisigs lat. Sprachwiss. S. 14. 306 u. Anm. 324 b. Primum igitur quid *Gerber* tentaverit videamus. Cuius verba ipsa transcribam: p. 10 „Sie (diese Einheit) stammt aus der Umgangssprache, in der man es bekanntlich, besonders mit Ellipsen, nicht so genau nimmt, und so oft in der Lebhaftigkeit des Gespräches aus Breviloquenz ein Wort auslässt in der Voraussetzung, dass der Hörer das Richtige fühlen und durch die nöthige Ergänzung den Gedanken ihr gehöriges Verhältniss geben werde. Leicht ging dann diese Art des Ausdrucks in die Schriftsprache über; denn auch hier wird der Schrift-

steller oft durch die Lebhaftigkeit und rasche Folge der Gedanken veranlaßt, die nöthige Beziehung für das, was er im Sinne hat, zu vergessen und dem Leser die Ergänzung seiner Worte zu überlassen." At per deos, quid hoc est afferre lucis? Lingua quum quaecunque cogitaverimus verbis exornare et proferre debeat, quomodo tandem partem earum rerum, quarum nuntiā est, omittere potest, modo recte velit suo munere fungi? Quid? Quae prave omittunt coram loquentes homines aut perperam cogitantes, eadem quum scribendum est et bene scribendum — nam mala scriptio ab his rebus aliena est — num possunt praeteriri? Id vero nunquam fiet, nisi si colloquentium hominum sermonem litterae velint imitari. In dialogis igitur quos dicunt brevitas quaedam dicendi reperitur. Atque adeo si quis in dialogo id vocabulum, quod unum si adesset totius sententiae rationem vehementer commutaret, — si id, inquam, praetermittere auderet, quis tandem omnium mortalium eum crederet sanum? Et quod potest magis commutare sententiam, quam quae contrariam rem efficiat negans particula? Quare neque celeritas in dicendo neque motus animi id aut potest facere aut debet, ut necessaria illa particula negligatur aut omittatur. Neque magis apta est Reisigii doctrina l. l. p, 306: „Es ist aber den alten Sprachen der Griechen und Römer eine gewisse Darstellungsart eigen, welche dem Begriffe nach derjenigen der neu-europäischen Sprachen gradezu entgegen gesetzt ist. Diese Darstellungsart der Alten ist eine ideelle, indem ein Prädicat gewählt wurde, welches nicht als das materielle angesehen werden kann, sondern nur als Etwas in der Idee zu fassen ist. Der neu-europäischen Darstellung dagegen ist es eigen, das Materielle zu nennen. Es kann nämlich ein und derselbe Gegenstand auf zweierlei Art wirken, entweder durch Position, was die materielle Wirkung ist, oder durch Negation, und das ist die ideelle Vorstellung; denn die Negation beruht bloß in der Idee. So legen die Alten zuweilen einem Objecte das Prädicat zu, welches aus der Negation des Objects entspringt". In quo loco quam longe vir doctissimus a vero aberraverit

Digitized by Google

manifestum est. Primum enim alii ante *Reisigium* id genus dicendi aliis quoque linguis recte vindicarunt, ut *Dacier* Oeuvres d'Horace Amst. 1727. p. 248 „Cette façon de parler n'est pas si extraordinaire, qu'elle le paraît d'abord; elle nous est encore très-familière; car un homme, qui partira un peu tard pour l'armée, dira fort bien que *son équipage* l'a rétenu, pour dire, son équipage, qui n'était qas prêt, qui lui manquait", et *Schreiber* de Horat. aliquot locis disput. Neo-Brandenb. 1824, qui eodem fere exemplo germanico utitur. cf. Gerber l. l. Nam is usus, si vere est, non formas aliquas aut dicendi cogitandive rationes, ut nonnullarum tantum linguarum sit proprius, sed humanae mentis et cogitationis leges sequitur omnibusque linguis communis sit necesse est. Deinde quod Reisigius de duplice effectu dicit, id argutius dictum quam verius videtur. Quod quum *Haasius* intellexisset, aliam viam ingressus relabitur ad ellipsin, ab antiquis scriptoribus praedicatum ideo in eius modi sententiis omitti ratus, quod parum illud definitum et certum ex natura effectae rei debeat intelligi atque num res ipsa an eius absentia causa sit efficiens dignosci. In qua re hoc velim consideret vir doctus, facile fieri non posse ut praedicatum, quod ipsam rem non modo tollat sed in contrariam diffingat, incertum videatur et supervacaneum, quin orationis perspicuitas in periculum simul vocetur aut perdatur. Iam vero videamus locos scriptorum, qui doctissimis viris singularis eius et mirae opinionis necessitatem imposuerint. Qui quum a *Gerbero* plurimi afferantur, ab hoc initium faciendum videtur.

Hom. Il. I, 65 Achilles dicit

Εἴ τ' ἄρ' ὅγ εὐχωλῆς ἐπιμέμφεται εἴϑ' ἑκατομβῆς

ubi Heynius addit: pro voto vel sacro *non reddito* et *Vossius* noster interpretatur:

Ob versäumte Gelübd' ihn erzürneten, ob Hekatomben

Ea autem interpretatio ut non interpretatio solum sed etiam enarratio est, sic falsa est ideo, quod Homeri verba amplius quoddam spatium complectuntur. Nam qui est voti reus, is divinum numen laedit non solum quum non solvit votum,

sed etiam quum negligenter. Huic quoque irascuntur dii; quapropter Achilles sapienter et consulto quum nesciat cur deus videatur irasci, universe dicit iratum fortasse deum esse *propter votum* vel hecatombam. · An etiam hecatomba non est reddita? Potest esse, quum voto concepta fuit ante; quodsi ita intelligendus locus, idem bis dicit Homerus. At vero fortasse deus nunc ipsam immolari sibi vult, aut in sacrificio olim facto peccatum aliquid est. Vides, quid poeta sit assecutus; quippe cuius verba ea omnia quae possint fieri complectantur. Huic autem dubitationi ubi locus non videbatur esse, ibi apertior et distinctior est oratio cf. Il. 21, 457 *Μισθοῦ χωόμενοι*, τ ὸ ν ὑ π ο σ τ ὰ ς ο ὐ κ ἐ τ έ λ ε σ σ ε. — Neque aliam rationem alter locus eiusdem Homeri admittit, Il. 9, 33.

Ἀλκὴν μέν μοι πρῶτον ὀνείδισας ἐν Δαναοῖσιν, de quo Gerber: Nicht die Tapferkeit, **sondern den Mangel derselben** machst Du mir zum Vorwurfe". Verum inest quaedam in his versibus gradatio. Diomedes, qui in certamine ingenti virtuti ferociaeque Hectoris resistere non potuit, dignitatem suam desperato Agamemnonis consilio, quo domum redeundum fuit, violatam aegerrime fert; praesertim quum in sua fortitudine postquam Achilles pugnam detrectavit omnis gloria belli et victoria esset collocata. cf. 8, 528. Hanc igitur fortitudinem, quae quidem quantacunque fuit Hectoris virtuti cedere deberet, Agamemno vituperare videtur atque adeo ignaviam ei postea aperte exprobrat. Quodsi h. l. *ἄλκη* esset defectus fortitudinis, ignavia, male idem bis legeremus; quid enim aliud esses *φὰς ἔμεν ἀπτόλεμον καὶ ἀνάλκιδα*? v. 34 iterum universe significatur id, quod ab acri Diomede v. 35 augetur, neque *ἄλκη* h. l. magis ignaviam significat quam post quinque versus, sed *fortitudinem qualiscunque fuit*. Huc referendus est locus, quem a viris doctis hoc modo tentatum non invenio, Eurip. Hec. 227 *γίγνωσκε δ' ἄλκην* i. e. considera vires quales sint, quam exiguae. cf. Pflugk. ad h. l.

Hom. Il. 13, 165 *χώσατο δ' αἰνῶς*
ἀμφότερον νίκης τε καὶ ἔγχεος ὃ ξυνέαξε.

Meriones hastam quam in Deiphobum misisset quum fractam videret, inermis aufugit aliam quaesiturus. Iam Gerberi sententia irasci dicitur ille *propter victoriam non reportatam*, Vossii um den verfehlten Sieg. Quae quum temere addita sint, quid prohibet, quominus propter victoriam a Deiphobo reportatam irasci eum affirmemus? Ipse enim Meriones pro victo habendus est. Verum satius est ut supra: propter victoriam, quam ipse speraverat, alter reportavit, huic rursus erepturus est. Quam ob rem aliam hastam quaesiturus abit.

Quodsi *Gerber* p. 11 ab Homero verbis *μέμφομαι, χώομαι, 'ονειδίζω* cet. negantem rem, quae irae vel vituperationis causam habeat, plerumque addi negat, id minus recte dixit, propterea quod negans particula omissa non est; sed loci illustrantur ipsa discordia, qua negantia quodam modo verba vituperandi, irascendi cet. cum iis rebus certant, quibus orti affectus dicuntur. Earum enim rerum ipsa natura non est ea, ut iram vel reprehensionem vel convicium efficere possit, nisi forte minores sunt vel deteriores quam quae necessitati sufficiant. Sic intelligitur locus Eurip. Hippol. 1392 (1419) *τιμῆς ἐμέμφθη*, ubi *Valckenarii* interpretatio *de honore neglecto* praestat alteri *propter honorem non acceptum*, cf. Hippol. 12—16. Deinde laudat *Gerber* Hom. Il, 10, 98 *καμάτῳ ἀδδηκότες καὶ ὕπνῳ* coll. Od. 6, 2 *ὕπνῳ καὶ καμάτῳ ἀρημένος* et Horat. carm. III, 4, 11: *ludo fatigatumque somno*, ubi negationem necessariam esse affirmat propterea *quod somnum non cepissent*, somno privati fuissent; nam, inquit, nisi ita cogitamus, somnus ut causa sit defatigationis quomodo fieri potest? Recte quidem, fieri non potest; sed ne poetae quidem illi somnum defatigationis causam esse voluerunt sed defatigationem somni; veluti Horatius puer ludendo defatigatus somno opprimitur; nam unde pueri innocentis et otiosi insomniae? cf. Sall. Cat. 28 „Vigilare neque insomniis neque labore fatigare.“ Sic nos dicimus ich habe Schlaf,

er kann sich vor Schlaf nicht halten; neque magis quam Latini insomnias sive somnum quo caruimus, sed dormiendi cupiditatem significamus. Atque ita quum dicitur, personae quasi formam induit res. cf. Terent. Heaut. III, 1, 82 „*Somnum* hac nocte *oculis non vidi meis*". Cic. ad fam. VII, 30 „Toto suo consulatu *somnum non vidit*". Iustin. XI, 13 „Confectum curis Alexandrum *somnus arripuit*"; Virgil. Aen. VI, 520 „confectus curis *somnoque gravatus* ibid. IX, 189 *somno* vinoque sepulti Ovid. Met. XI, 631 „*labitur somnus* in artus". ibid. VII, 153 „Nuces *somnum faciunt*".

Iam pervenimus ad notissimum locum Horatii Carm. I, 3, 15.

Quo non arbiter Hadriae
Maior *tollere* seu *ponere* vult freta.

Qui locus quum alteri verbo *ponere* negatio *flatu remisso* additur, vereor ne recte non intelligatur. Est enim apud antiquos poetas celebratissima opinio, tempestates in mari oriri ventorum inter se pugnantium acri certamine. Quod quam verum sit ut perspiciatur, locos proferam.

Ovid. Trist. I, 2, 25 sqq.

Fremunt immani turbine venti;
Nescit cui domino pareat unda maris.
Nam modo purpureo vires capit *Eurus* ab ortu,
Nunc *Zephyrus* sero vespere missus adest,
Nunc gelidus sicca *Boreas* bacchatur ab Arcto
Nunc *Notus adversa proelia fronte gerit.*

cf. *Hom.* Od. V, 292—296.

Virgil. Aen. I, 52 sqq.

Hic vasto rex Aeolus antro
Luctantes ventos tempestatesque sonoras
Imperio premit ac vinclis et carcere frenat.

Apud Virgilium Aeolo duplex potestas a summo Iove data esse dicitur, Aen. I, 66

Et *mulcere* dedit fluctus et *tollere* vento.

Propert. III, 15, 31

Magnos cum ponunt aequora motus
Eurus ubi *adverso desinit ire Noto*

Digitized by Google

Horat. Carm. I, 9, 10

Stravere ventos aequore fervido
Deproeliantes

ibid. I, 12, 30 sq. *Concidunt venti*

Et propter eam rem Horat. Epod. 10 in navem, quam conscendit Maevius poeta, *tres* ventos concitat; sic Carm. I, 3, 13 *Africum decertantem Aquilonibus* nominat. cf. ibid. v. 4. Deinde *Stat.* Theb. I, 193. 348 sq. *Lucan.* Phars. II, 454 sqq. III, 523. Atque quoniam maria quaedam iisdem saepe ventis moventur, hi victores ex pugna decessisse imperiumque inulti exercere videntur. Cf. Mitscherl. ad h. l. v. 15. Itaque Notus in mari Adriatico, quod ex arbitrio suo (*arbiter*) regit, non movet solum sed ponit etiam aliis qui ibi saevire conati sunt ventis devictis. Iam confer, sis, reliquos locos: Virgil. Aen. III, 68 „placataque venti dant maria" Eclog. 2, 26 „quum placidum ventis staret mare", quibus adde Aen. V, 763 „placidi straverunt aequora venti". Neque in his locis negationem omissam esse perspicue ostenditur simillimo hoc loco Virgil. Aen. IV, 244, ubi Mercurius

Dat somnos adimitque;

in quo loco Mercurius non magis persona est quam in illis venti; quamquam maiore littera scribendum esse illud nomen non credo. In *προςωποποιίᾳ* latet dictionis origo. Similis locus est *Sophocl.* Trach. 94

αἰόλα νὺξ ἐναριζομένα
Τίκτει κατευνάζει τε φλογιζόμενον
Ἅλιον.

in quo loco nihil est, quod *ἐναριζομένα* cum altero verbo *κατευνάζει* coniungere nos iubeat. Praeterea ex omnibus locis quos *Lobeckius* ad Soph. Aiac. 706 citavit (Hor. C. S. 10. Soph. Trach. 656 Valer. Arg. I, 434. Eurip. Bacch. 448. Aesch. Choeph. 875) ne unus quidem est, qui hanc rectam puto interpretationem aspernetur. Ad. *Xenoph.* Anab. I, 6, 7 *ὁπότ' αὖ ἔγνως τὴν σεαυτοῦ δύναμιν*, quo loco *δύναμιν* non potestatem vel vires sed defectum virium, Ohnmacht, et ibid. V, 8, 1, ubi *τῆς φυλακῆς non factam custodiam* Gerber esse

Digitized by Google

ait; multo prudentior erat *Krueger*, quippe qui τὴν σεαυτοῦ δύναμιν germanice interpretaretur deine Macht d. h. die Schwäche derselben, et φυλακή schlechte Bewachung. Sed illo loco Xenophon dicit: *quum qualis sit tua potestas intelligeres;* hoc Philesius et Xanthicles damnum viginti minarum praestant τῆς φυλακῆς i. e. propterea quod (hoc significatur genitivo casu) in custodia mercium positi fuerant. Quae qualis fuerit custodia, non ex verbis scriptoris sed ex re facta elucet. Sic hic quoque Ciceronis locus, pro Rosc. Am. IV. §. 9: nam commoditati ingenium, gravitati aetas, libertati tempora sunt impedimento"; si quis vellet, posset negationem adiungere; ipse tamen Cicero cautior fuisse videtur. In his igitur omnibus locis quum iterum indefinitam et latiorem dicendi rationem repertam habeamus, quid reliqui loci qui doctrinae de hoc usu dilatae veritatem evincere dicantur, efficiant, cauta et accurata consideratio restat.

Horat. Carm. I, 18, 3

Siccis omnia nam dura deus proposuit neque
Mordaces aliter diffugiunt sollicitudines,

quem versum *Vossius* sic germanice

Und kein Mittel verbannt, außer dem Trunk, nagender
Sorgen Schwarm.

De qua re *Gerber* haec: Hier heißt es neque aliter, nicht anders, unter keiner andern Bedingung entfliehen die nagenden Sorgen. Und welches wäre denn diese Bedingung? Nach einer richtigen grammatischen Verbindung kann er nichts Anderes sein, als die Nüchternheit; denn das neque *aliter* bezeichnet eine im Vorhergehenden liegende Voraussetzung und verbindet nicht das Entgegengesetzte, sondern das Gleiche; das aber ist siccitas und nicht ebrietas. Mithin durfte man, streng genommen, nicht ergänzen nisi vino hausto, sondern nisi sicci sumus". Id autem ait non consentire cum eo, quod dicere velit poeta; credendum igitur esse negationem in animo eius latuisse, quum tamen non negaverit sed affirmaverit: ut esset addendum: quam si *non* sicci sumus. In quo loco magnopere cavendum est, ne gravi quae in hac disputatione vi-

Digitized by Google

detur inesse diligentia prave decipiamur. Is enim locus *neque aliter* cet. ex iis est, in quibus quae indicatur conditio non proxime praecedentibus verbis suggeritur sed altius repetenda est. cf. Cic. de amic. c. 20 „aliter amicitiae stabiles permanere non possunt.“ Quid? Num in hoc loco *aliter* voc. referendum videbitur cuiquam ad eam quae proxime praecedit benevolentiam erga nutrices et paedagogos? Immo vero ad eam sententiam referendum, quae septimo vel octavo versu ante legitur: *Omnino amicitiae corroboratis iam aetatibus . . iudicandae sunt.* vid. Gernhard ad h. l. et quae *Klotzius* ad Cic. Tusc. p. 7 de simili usu pronominis *qui* scripsit *). Deinde adest altera adversaria Gerbero particula neque. Ea enim quum enuntiati partes coniungat, non fortiori cuidam inferiorem subiungat, alteram causam addit, sive *nam* particula ad hanc quoque partem enuntiati pertinet. Quod si est, *aliter* referatur necesse est ad vv. 1 et 2, quibus ut vino Varus fruatur ab Horatio excitatur. Quapropter in *aliter* adverbio hanc latere conditionem existimo: *quodsi vites non plantas* i. e. vino non uteris, non diffugiunt mordaces sollicitudines. Possunt cum hoc loco comparari Homerici apud *Naegelsbachium* Il. 2, 250 p. 120; qui tamen quum aposiopesis quoddam genus habeant, dissimiliores sunt; illa autem figura et Il. 2, 250 et Od. 19,486 egregie ac commodata est ad animos loquentium gravi ira commotos. — Verum gravius erravit *Gerber*, quum hoc loco Horat. Carm. II, 4, 15

Regium certe genus et Penates
Maeret iniquos

genus *amissum* interpretaretur: „Nur über den Verlust des königlichen Geschlechtes konnte das Mädchen trauern. Man bedauert eine Sache nur dann, wenn man sie nicht mehr hat.“ Quid, si Iupiter ipse de coelo descendisset? Num is regium genus puellae potuisset eripere? Nempe genus quum nati sumus non amittimus neque potest ulla nobis vi eripi; sed

*) De hac re nunc conferri potest *Obbarius* quoque in Iahn. Ann. phil. XXVIII. 3 p. 246.

contaminatum est regium genus in ancilla; quare moeret. Neque licet magis testem eius rei afferre hunc locum Horat. epist. ad Pis. 258—262, vel propterea quod quomodo interpungendum sit inter viros doctos nondum convenit, et quam tutati sunt *Bentleius* et *Doederlinius* interpunctio multa habet quibus commendetur. Nam quod *Orellius* dicit, *premere* verbum apud Bentleium obiecto quod vocant carere, id non impedit, quo minus tota ratio comprobetur. cf. Od. III, 7, 12, ubi *tentat* verbum non magis ornatum est obiecto.

Naegelsbachius ad Hom. Il. I, 65 praeter locos supra citatos Homeri etiam Od. 14, 365 appellat, quo loco Eumaeus ad Ulixem haec:

τί σε χρὴ τοῖον ἐόντα
Μαψιδίως ψεύδεσθαι; ἐγὼ δ' εὖ οἶδα καὶ αὐτὸς
Νόστον ἐμεῖο ἄνακτος, ὅτ' ἤχθετο πᾶσι θεοῖσιν
Πάγχυ μάλ', ὅττι κτέ.

Ad intelligendum locum V. D. suppleri iubet *οἶδα καὶ αὐτὸς νόστον ἐμ. ἀν. ὅ τ ι ο ὐ κ ἔ σ τ α ι.* Sed satis est monere, *νόστον* accusat. ex attractionis quodam genere, quum subiectum esse deberet verbi *ἤχθετο,* ad primariae partis verbum esse accommodatum cf. Buttm. gr. Gr. §. 151. I. 6 quem *Naegelsbachius* ipse laudat ad Il. 2, 409. Kühner. §. 857.

Apud *Reisigium* l. l. p. 306 primus locus qui citatur est Valer. Flacc. Argon. I, 434 *solvit iam fibula vestes*: „Die Spange löset das Kleid, wenn sie weggenommen wird" Si idoneus esset locus et similis ceteris, dicere deberes: wenn sie nicht da ist; quod quidem esset ineptum. Sed fibula non retrahitur, sed *abit* ipsa; est iterum *προςωποποιΐα*, de qua supra dictum. Num quid aliud est, quum latine dicimus *fibula mordet, mordaci dente capit?*

Cic. de N. D. II, 19 „sol ita movetur, ut cum terras larga luce compleverit, easdem modo his modo illis ex partibus *opacet*"; ex quo loco colligitur (cf. Reisig. p. 14) veteribus licuisse dicere: die Sonne verdunkelt die Erde«. Sed *opacare* h. l. non est obscurare id quod ante erat illustratum,

Sic Virg. Aen. II 448. turbavit janua frondes. janua mota inquit Heyne. non janua ipsa, quae aperta est, turbat frondes.

Digitized by Google

sed *non illustrare* quod obscurum est, im Dunkeln lassen. Sic apud *Horatium* C. S. 9

> Alme Sol curru nitido diem qui
> Promis et *celas;*

in quo loco quum deus Solis appellatur, id genus dicendi facilius cognoscitur. Nam totus mundus, naturali quadam caligine obductus radiis Solis illustratur; Sol igitur quum abivit, priore nocte orbis necesse est tegatur. cf. Virgil. locos quos supra attuli, Aen. I, 66. IV, 244. Omnia quae fiunt, deorum beneficiis fiunt; qui si facultatibus suis non utuntur, nihil mutatur et manet prior rerum ratio. Ceterum cf. Lucan. VI, 645 „humum Phoebo non pervia *taxus opacat.* Et quem locum attulit *Haasius*: Ovid. Met. VII, 573

> Prosiliunt, aut si prohibent consistere *vires*
> Corpora, devolvunt in humum,

is plane similis est Xenophonteo An. I, 6, 7. Iis autem quae de Ciceronis et Horatii locis disputavi, expediuntur ii quoque loci, quos apud *Reisig.* Enarrat. Soph. Oed. Col. 864. 865 legimus. Sol enim deus qui omnia videt, caecitatis quoque auctor est; Mars, qui bello et caede gaudet, conservandae pacis causa vocatur (Hom. hymn. VIII, 15 sqq.). Scilicet ut ille denegata luce obscuritatem et caecitatem, sic bellandi cupiditatem continens hic pacem dare potest et conservare. In quo genere eximiam auctoritatem hanc addo: de Mercurio in hymno Homer. II, 14 hi versus sunt:

> *Καὶ τότ' ἐγείνατο παῖδα πολύτροπον, αἱμυλομήτην,*
> *Ληιστῆρ', ἐλατῆρα βοῶν, ἡγήτορ' ὀνείρων,*
> *Νυκτὸς ὀπωπητῆρα, πυληδόκον, ὃς κτλ.*

Qui deus est fur, idem est custos; quam diversam naturam ut recte coniungere videatur, *πολύτροπος* vocatur et *αἱμυλομήτης*. Musae, quarum beneficio poetae cantum debent et citharam (Hor. Carm. IV, 3, 19 sqq.), eaedem utrumque cohibent (id Carm. I, 1, 32 sq.); Notus qui imbres cogit, idem dispergit (id. Carm. I, 7, 15 sq.); Apollo, cuius ira pestilentia exoritur (Hom. Il. I.), placatus morbum defendit (Hor. Carm. I, 21, 16); denique Fortuna et homines altius

tollit et sublatos praecipites deturbat (Hor. Carm. I, 35, 2 sqq) cf. Soph. Ai. 675. 706. Trach. 655. Omnino ita potentes sunt dei, ut et dare possint et adimere. cf. Ovid. Met. VIII, 616.

Ad Eurip. Med. 963

τῶνδ' ἐμῶν παίδων φυγὰς
ψυχῆς ἂν ἀλλαξαίμεθ', οὐ χρυσοῦ μόνον

Schaefer: „Exspectes, inquit, contrarium fugae, *veniam manendi*"; et „Est hoc graecae linguae idioma, quod interpretes passim male habuit". Quod vir doctissimus fortasse non dixisset, si poetam se legere memor satis fuisset, quem in pedestrem orationem dissecare et dissolvere non decet. Quamquam optime sese res ipsa habet: „Exilium puerorum permutare velim non auro solum sed vita etiam". Mater exilium puerorum, de quo inimici decreverant, illo pretio redimit, ut ipsa possit statuere. Prohibituram eam esse res docet, quum de liberis ipsius agatur pretiumque sit maximum. Simillimus locus est *Platonis* Menex. p. 237. A ζῶντές τε τοὺς ἑαυτῶν εὔφραινον δι' ἀρετὴν καὶ τὴν τελευτὴν ἀντὶ τῆς τῶν ζώντων σωτηρίας ἠλλάξαντο, ubi si acutius velis disputare, non τελευτὴν sed βίον exspectes. Nam ab Euripideo hic non discrepat nisi altera verbi ἀλλάσσειν constructione; quod idem in verbo *mutare* fieri solet. Horat. Carm. I, 17, 1. II, 12, 23. III, 1, 47. Epod. 9, 28. Stat. Silv. II, 1, 112. Alius etiam locus apposite conferri potest *Catull.* 12, 7

Crede Pollioni
Fratri, qui tua *furta vel talenta*
Mutari velit

Verum quem appellat Schaefer Euripidis locum, Phoen. 1668

καὶ τῷ τάφῳ νῦν τὴν δίκην παρασχέτω,

is prave intelligeretur, si τῷ τάφῳ dictum crederemus pro τῇ ἀταφίᾳ. Ὁ τάφος universe dicitur; negatio postea additur v. 1670. Iam ex iis locis quos habet *Matthiaeus* l. l., unus est Soph. Ai. 178 ubi utrum legendum sit δώροις an ἀδώροις etiam nunc incertum est.

Quae omnia si vere disputata sunt, hoc spero perspicuum erit, neque veteribus scriptoribus fuisse neque nobis

esse usum, quo quod verbis affirmetur, negetur ipsa re; contra magnam eorum locorum partem, qui in eam rem proferri solent a viris doctis, recta interpretandi ratione auferri, in aliis *προσωποποιίαν* inesse quandam, eos denique, qui pravae illi doctrinae maxime videantur favere, universam aliquam imaginem vel sententiam exhibere, quae quum complures partes vel genera habeat, legentium iudicio ita obnoxia sit, ut quid res ferant recusentve inde eligatur. In iis autem quae fieri possint vel intelligi, negationem posse ipsam reperiri quis negabit? Res enim, quae paulatim minuuntur, tandem evanescunt.

Tota haec disputatio quum iam esset scripta, apportatur mihi *Koehleri* libellus, cui index est: de veterum scriptorum usu in enuntiationibus verbo affirmantibus, re negantibus (progr. schol. Zwiccav. 1839). Atque magnopere miror, quod V. D. molesta quadam diligentia modum tantopere excessit, ut id genus dicendi in sex partes dividere non dubitaret. Neque ibi quidquam inveni, quod sententiam meam supra expositam redarguat; immo valde gaudeo, quod *Iahnum*, de litteris antiquis virum optime meritum in Ann. phil. et paed. 1839. 9. XXVII. 1. p. 110 sq. idem fere, quod ego feci, de his rebus iudicium fecisse nunc videam. *Lafontanius* igitur (in edit. Aesch. T, I. p. XCVII sq.) iam non solus est, qui aliud dicere aliud sentire saepe antiquos homines vehementer negaverit. Hanc autem disputationem post Iahnum scriniis cohibere ideo nolui, quod ab eo, uti annalium natura tulit, omnino tantum quid sentiret enuntiatum, de singulorum locorum interpretatione expositum non est.

Digitized by Google

XX.

Duo nomina substantiva vinculo aliquo inter se coniuncta et singulis adiectivis ornata quomodo apud Horatium collocari soleant, quaeritur.

In particula prima harum quaestionum quum de loco carm. III, 1, 21 scriberem, de ordine quodam, quo apud Horatium duo substantiva singulis adiectivis ornata saepe disponerentur, pauca proposui. Ibi autem, id quod eius loci natura ferre videbatur, de una tantum nominum collocandorum ratione disputavi, quamquam magnam eius rei varietatem apud poetam esse primum quodque carmen ostendebat. Quare quod ibi relictum est, hic repetendum mihi esse existimabam. Ad rem autem antequam accedam, hoc moneo, ne eos quidem locos praetermittere me debuisse, quibus alterius adiectivi munere genitivus substantivi nominis fungeretur, contra debuisse excludere, quibus aut quatuor illa nomina nimia quadam spatii amplitudine disiungerentur, velut quum ex *tribus* versibus dispersae partes essent colligendae (carm. I, 13, 18 sqq. III, 16, 11 sqq., IV, 2, 27 sqq., IV, 4, 46 sqq.); aut quum tria nominum paria artificio quodam miscerentur. Nimirum in his locis maior potest esse rationis varietas, quam ut ex carminibus singulas res facile possis conquirere, conquisitas ad certam aliquam legem revocare. Trium autem parium proferam saltem exempla: Carm. I, 15. 1 sqq, II, 2, 1 sq., 6, 22 sqq., 8, 14 sqq. III, 3, 26 sqq., 6, 7 sq, 9, 7 sq., 11, 26 sq. 23, 13 sqq., 24, 22 sq, 27, 58 sqq., IV, 2, 34 sqq.; 4, 7 sqq.; 4, 39 sqq.; Epod. 3, 9 sq. 5, 11 sq. 5, 47 sq. 17, 15 sqq.

Et primum quidem ut unde recte proficiscendum videatur habeamus, videndum erit, quem quatuor nominum ordinem simplicissimum, ab omni oratoria vel poetica auctoritate liberrimum, ad logicas rationes accommodatissimum esse arbi-

Digitized by Google

tremur. Atque latini sermonis eum morem esse scimus, ut quum adiectivum substantivo saepissime adhaereat et natura cogitationeque inferius sit, substantivum praecedat, adiectivum insequatur. Quum igitur dicamus *pater bonus*, *filius bonus*, atque eodem iure remotaque omni aliena auctoritate *pater filii*; consequens est, ut quam *pater bonus* et *filius bonus* genitivi coniunctione colligentur, dicatur necesse sit *pater bonus filii boni*. cf. de hac re *Handii* art. lat. scrib. §. 80 sqq. Iam habemus, unde progrediendum videatur, videndumque, quot ordinibus vel rationibus quatuor illa vocabula sive elementa quae mathematici vocant omnino possint disponi, deinde quot in Horatii carminibus deprehendantur. In qua re quo perspicua magis et brevis fiat disputatio, singulas partes singulis litteris significare voluimus, ita ut utrum nomen praestantius dignitate maiusque esset visum littera A, alterum littera B indicaremus. Ablativis autem et dativis accusativi semper praestant, accusativis nominativi; veluti ad significandum locum Carm. I, 3, 18

siccis oculis monstra natantia

haec formula usurpatur b B A a; minores enim litterae adiectiva indicant.

Atque in hac re hoc magnopere admirandum est, quotiescunque elementa *A a B b* a mathematicis dicantur permutari posse, totidem ordines in Horatii carminibus reperiri; magnum sane documentum mobilitatis et libertatis praestantia linguae poetis concessae. Sunt autem ordines viginti quatuor; quos quum omnes exemplorum auctoritate munitos ostendero, singillatim pauca nunc quidem disputabo.

1. *A a B. b. ignes suppositos cineri doloso.* II, 1, 7 sq. cf. I, 29, 9 sq. II, 1, 7 sq. 6, 2. 9, 5 sq. 15, 7 sq. III, 5, 13 sq. 6, 47 sq. 13, 4 sq. 25, 7 sq. IV, 4 sq. Epod. 5, 45.
2. *A a b B. Memphin carentem Sithonia nive*, III, 26, 10. cf. II, 5, 23 sq. 17, 18 sq. III, 1, 5. 1, 6 sq. 2, 10 sq. 4, 13 sq. 8, 11 sq. 8. 19 sq. 25, 15 sq. 26, 10. IV, 4, 23 sq. 11, 19 sq. 14, 29 sq. Epod. 5, 23. 5, 73 sq. 17, 4 sq. 17, 11 sq.

Digitized by Google

3. *A B a b. Martem tunica tectum adamantina.* I, 6, 13. cf. I, 33, 15. 36, 4. II, 9, 21 sq. 14, 25 sq III, 2. 17. 5, 23 sq. 29, 20. IV, 1, 30. 4, 50. 8, 25 sq. 14, 11 sq. 14, 37. Epod. 2, 59. 17, 22.

4. *A B b a. Dies anno redeunte festus.* III, 8, 9. cf. I, 29, 5. 34, 5 sq. II, 1, 1. III, 8, 9. 8, 13 sq. 11, 33 sq. 16, 5 sq. 18, 1. IV, 4, 23 sq. Epod. 11, 17. 13, 6.

5. *A. b B. a. Venator tenerae coniugis immemor.* I, 1, 26. cf. I, 2, 6. 3, 29 sq. 6, 17 sq. 10, 13. 31, 7 sq. 32, 11 sq. 38, 7 sq. II, 1, 21 sq. 5, 18. 16, 11 sq. 19, 1 sq. 19, 3 sq. 19, 29 sq. III, 2, 7. 4, 67 sq. 10, 15. 26, 7 sq. IV, 1, 26. 4, 61. 6, 31 sq. 9, 30 sq. 11, 27. 12, 3 sq. 15, 6 sq. Epod. 5, 4. 5, 55 sq. 10, 9.

6. *A b a B. Maecenas atavis edite regibus.* I, 1, 1. cf. I, 1, 4. 14, 5. 21, 3 sq. 28, 29. 31, 12. 35, 31 sq. II, 1, 4 sq. 1, 33 sq. 3, 21. 6, 5. 7, 5. 12, 2 sq. 16, 18 sq. 16, 38 sq. 18, 4 sq. 19, 8. 20, 5 sq. III, 1, 21 sq. 3, 5. 4, 74. 5, 18 sq. 5, 39 sq. 6, 15 sq. 8, 22. 9, 9 sq. 9, 22 sq. 10, 1 sq. 10, 2 sq. 10, 5 sq. 11, 3 sq. 12, 8. 14, 3 sq. 14, 8. 15, 13. 17, 1. 19, 16 sq. 19, 24. 22, 7. 24, 53 sq. 29, 24. 29, 49. IV, 4, 53. 6, 42. 10, 4. 11, 6 sq. Epod. 4, 17 sq. 5, 15. 7, 7 sq. 8, 9 sq. 8, 13 sq. 11, 28. 12, 1. 14, 3. 16, 37. 17, 33 sq 17, 54. 17, 55.

7. *a A B b. feros cultus hominum recentum.* I, 10, 2. cf. I, 25, 17. 29 14 sq. 37, 25 sq. II, 1, 36. 3, 9 sq. 7, 15 sq. 12. 8 sq. III, 4, 31. 4, 43. 6, 27 sq. 8, 3 sq. IV, 15 sq. Epod. 2, 3. 2, 53.

8. *a A b B. quinta parte sui nectaris.* I, 13, 16. cf. I, 15, 10 sq. 15, 35 sq. 22, 13 sq. 25, 29 sq. 27, 3 sq. 27, 20. 33, 13. 37, 9 sq. II, 1, 11 sq. 1, 15 sq, 3, 13 sq. 4, 3. 6, 18 sq. 15, 9 sq. 15. 19 sq. 16, 9 sq. III, 1, 17 sq. 1, 18 sq. 2, 23 sq. 5, 53 sq. 6, 23 sq. 6, 43 sq. 10, 7 sq. 18, 7 sq. 24, 12 sq. 27, 21 sq. 27, 53 sq. 29, 40 sq. 30, 11 sq. 30, 13 sq. IV, 6, 18. 8, 28 sq. 9, 11 sq. 9, 17 sq. 9, 22 sq. 11, 25 sq. 14, 23 sq. 14,

Digitized by Google

31 sq. C. S. 45. Epod. 1, 13 sq. 3, 15 sq. 5, 25 5, 89. 9, 1. 9, 7 sq. 10, 5. 10, 21. 14, 13 sq. 15, 7 sq. 17, 47. sq.

9, *a B A b. Sectus flagellis hic triumviralibus.* Epod. 4, 11. cf. I, 1, 27. 6, 5 sq. 7, 20 sq. II, 11, 9 sq. 12, 11 sq. III, 4, 73. 5, 22. 5, 45 sq. 11, 41 sq. 19, 28. 21, 13 sq. IV, 3, 21. 4, 42. 8, 13. 14, 18. Epod. 4, 11. 5, 5 sq. 10, 15.

10. *a B b A. Cessantem Bibuli consulis amphoram.* III, 28, 8. cf. I, 2, 13 sq. 7. 29. 12, 11 sq. 23, 2 sq. 26, 2 sq. 37, 23 sq. II, 2, 23 sq. 3, 1 sq. 4, 13 sq. 7, 7 sq. 8, 1 sq. 12, 19 sq. 14, 17 sq. 16, 13 sq. III, 1, 27 sq. 3, 61 sq. 24, 51 sq. IV, 2, 2. 11, 15. C. S. 37 sq. Epod. 2, 7 sq. 2, 63. 5, 77 sq. 6, 7. 16, 1.

11. *a b A B. Insigne maestis praesidium reis* II, 1, 13. cf. I, 2, 9, 3, 23 sq. 3, 34. 5, 6 sq. 7, 13 sq. 8, 6 sq. 9, 7 sq. 10, 17 sq. 12, 23 sq. 14, 19 sq. 17, 6 sq. 18, 15. 20, 1. 29, 13 sq. II, 1, 31 sq. *) 5, 19 sq. 6, 11 sq. 12, 1. 14, 14. 15, 5 sq 17, 19 sq. III, 2, 11 sq. 3, 17 sq. 4, 2. 4, 17. 4, 29 sq. 5, 31 sq. 6, 4. 12, 7. 16, 35 sq. 18, 5. 19, 4. 20, 14. 21, 15 sq. 29, 4. 29, 17. IV, 1, 34. 2, 7 sq. 2, 25. 4, 27 sq. 5, 1 sq. 6, 25. 7, 27 sq. 8, 1 sq. 10, 2. 14, 47 sq. C. S. 59 sq. Epod. 2, 15. 2, 41 sq. 2, 47. 2, 55 sq. 5, 19. 5, 29. 5, 61 sq. 5, 67 sq. 5, 69 sq. 10, 19 sq. 12, 5. 12, 13. 13, 11. 14, 1 sq. 16, 7. 16, 33. 16, 48. 16, 55. 16, 63. 16, 66. 17, 66.

12. *a b B A. Luctantem Icariis fluctibus Africum.* I, 1, 15. cf. I, 12, 43. 13, 4. 17, 1 sq. 18, 1. 18, 13 sq. 32, 7 sq. 33, 5. 35, 5 sq. 36, 8. II, 2, 15 sq. 6, 10 sq. 10, 10 sq. 12, 6 sq. 17, 21 sq. 18, 1 sq. 20, 2 sq. III, 2, 2. 3, 63 sq. 4, 34. 7, 1 sq. 9, 2 sq. 12, 10 sq. 13, 6 sq. 18, 11 sq. 19, 22 sq. 26, 5. 27, 25 sq. 27, 71 sq. 29, 14 sq. IV, 2, 42 sq. 8, 27. 14, 39 sq. 15, 3 sq. C. S.

*) *Hesperiae* adiectivum est. vid. Orelli ad h. l. cf. II, 17, 20.

Digitized by Google

21 sq. Epod. 1, 19. 2, 17. 2, 43. 7, 5. 8, 5 sq. 9, 5. 11, 23 sq. 13, 13 sq. 14, 7. 15, 11. 16, 9. 17 32 sq.

13. *B A a b. Proetum mulier perfida credulum.* III, 7, 13. cf. III, 24, 3 sq. Epod. 8, 11 sq.

14. *B A b a. Sororum fila trium* (patiuntur) *atra.* II, 3, 15. sq. cf. Epod. 1, 5 sq.

15. *B a A b Aquae lene caput sacrae* I, 1, 22. cf. I. 10, 14. III, 16, 30. 27, 2 sq. 27, 10.

16. *B a b A Lycambae spretus infido gener.* Epod. 6, 13. cf. I, 20, 9 sq. 28, 3 sq. 28, 11 sq. II, 19, 11 sq. III, 11, 1 sq. IV, 5, 15 sq. 6, 3 sq. 7, 13. 14, 7 sq. Epod. 1, 25 sq. 4, 15. 5, 27 sq. 9, 15 sq. 11, 10.

17. *B b A a. Ictibus crebris iuvenes protervi.* I, 25, 2. cf. I, 11, 6 sq. 16, 1. II, 2, 7 sq. III, 1, 6. 1, 47 sq. IV, 13, 5 sq.

18. *B b a A. Muricibus Tyriis iteratae* (vellera) *lanae.* Epod. 12, 21. cf. I, 6, 14 sq. 12, 37 sq. 17, 11 sq. 37, 1 sq. II, 9, 2 sq. 10, 23 sq. 20, 15 sq. III, 1, 2 sq. 5, 5 sq. 6, 21 sq. 10, 11 sq. 10, 19 sq. 25, 11 sq. IV, 3, 17 sq. 15, 9 sq. C. S. 19 sq. Epod. 2, 33. 5, 49. 12, 8 sq.

19. *b A a B. Relictis Musa procax iocis* II, 1, 37. cf. I, 16, 11 sq. II, 13, 34 sq. 14, 19 sq. III, 3, 43 sq. 6, 33. 9, 14. 11, 9. 11, 35 sq. 15, 10. 16, 25. 17, 4. 18, 9. 19, 25. 19, 26. 22, 6. 24, 36 sq. 28, 2 sq. IV, 1, 4 sq. 2, 58. 4, 57. 5, 5. 5, 37. 9, 42 sq. Epod. 1, 29. 2, 29. 2, 57 sq. 3, 6 sq. 16, 50. 17, 23.

20. *b A B a Multis ille bonis flebilis.* I, 24, 9, cf. II, 8, 11 sq. IV, 4, 13 sq. 5, 31 sq. 8, 7 sq. 8, 9 sq. Epod. 16, 25 sq.

21. *b a A B. Teretes Marsus aper plagas.* I, 1, 28. cf. I, 1, 14. 3, 32 sq. 4, 9. 12, 22 sq. 12, 59 sq. 14, 14. 28, 21. 32, 13 sq. 35, 7 sq. 35, 21 sq. 36, 10. 37, 31 sq. II, 1, 6. 4, 11. 12, 15 sq. 16, 29. 17, 3 sq. 17, 22 sq. III, 1, 16. 3, 6. 4, 70 sq. 4, 76. 8, 21. 13, 9. 13, 14 sq. 14, 5. 21, 4. 23, 8. 27, 75 sq. 29, 2. IV, 4, 31 sq.

Digitized by Google

5, 21. 15, 30. Epod. 4, 7. 8, 1. 9, 29. 10, 1. 10, 3 sq. 13, 12. 16, 2. 16, 34. 16, 46. 16, 53 sq. 17, 31 sq.

22. *b a B A. Longa fessum militia latus.* II, 7, 17. cf. I, 2, 11 sq. 12, 3 sq. 15, 3 sq. 15, 29 sq. 19, 11 sq. 22, 5 sq. 23, 17 sq. 28, 19 sq. 28, 30 sq. 31, 5 sq. 34, 10 sq. 35, 23 sq. II, 7, 21 sq. 11, 11 sq. 16, 21 sq. 18, 7 sq. III, 1, 45. 2, 25 sq. 3, 29 sq. 4, 25 sq. 4, 79 sq. 6, 37 sq. 7, 4 sq. 11, 17 sq. 12, 11 sq. 16, 39 sq. 19, 5. 20, 3 sq. 21, 5. 24, 40 sq. 27, 33 sq. IV, 2, 10. 2, 19 sq. 3, 6 sq. 4, 58. 4, 66 sq. 6, 9 sq. 6, 23 sq. 7, 17 sq. 8, 33 sq. C. S. 61 sq. Epod. 2, 51 sq. 4, 13. 5, 39 sq. 9, 25 sq. 12, 19. 16, 4.

23. *b B A a. Siccis oculis monstra natantia.* I, 3, 18. cf. I, 6, 10. 11, 5. 16, 21. 31, 3 sq. II, 9, 9 sq. 16, 15 sq. III, 4, 55, 5, 27 sq. 16, 1. 24, 17 sq. IV, 2, 21. 4, 17 sq. Epod. 6, 1 sq. 9, 19 sq. 14, 9 sq. 17, 42.

24. *b. B a A Pinguis Phrygiae Mygdonias opes.* II, 12, 22. cf. I, 9, 1. 16, 18 sq. II, 1, 29 sq. 10, 14 sq. 13, 24 sq 15, 1 sq. 19, 33 sq. III, 3, 25 sq. 3, 52. 5, 47 sq. 6, 19. 16, 2 sq. 23, 2. 23, 5 sq. 24, 6. 26, 3 sq. 27, 17 sq. IV, 2, 45 sq. 4, 45 sq. 8, 32. 9, 29 sq. 9, 43 sq. 10, 8. 12, 6 sq. C. S. 65 sq. Epod. 2, 9 sq. 2, 11 sq. 2, 45. 3, 1 sq. 5, 41 sq. 7, 19 sq. 10, 7 sq. 11, 15 sq. 13, 18. 16, 6. 16, 30 sq. 16, 61 sq. 17, 50 sq.

De singulis haec. Reperitur ordo primus in versibus Alcaicis saepius, in Sapphicis semel (II, 6, 2), ter in Asclepiadeis, semel in Iambis. Ipse autem quum non habeat potestatem rhetoricam, quoniam leni quasi flumine et tranquillo verba fluunt, adiuvandus fuit metrica ratione; quapropter ubicunque in Alcaicis et Asclepiadeis versibus reperitur, ita factum videmus ab Horatio, ut quatuor verba non uno versu recepta partim in extremo praecedente versu partim in initio insequentis collocarentur; quo quidem id effecit, ut quae verba essent graviora, arsi tollerentur, premerentur reliqua thesi. Eandem artem sentimus in Epod. 5, 45 „Quae *sidera excantata voce Thessala*"; egregie enim vocabula *sidera* et

Thessala et arsi et loco efferuntur; neque minus in versu Sapphico, Carm. II, 6, 2 „*Cantabrum indoctum iuga* ferre *nostra*“, quo quid valeat positio vocabulorum *Cantabrum* et *nostra* recta versus recitatione percipitur. — Altero ordine *A a b B* gravitate praestant substantivum *A* et adiectivum *b*. Quapropter etiam metro horum praestantia indicatur. cf. III, 26, 10; contra *a* adiectivum thesi premitur (III, 11, 9 Epod. 5, 75), aut ubi aliquid potestatis habere videretur, ibi vel in fine vel in initio versus collocatum est a poeta (II, 17, 18. III, 1, 6 sq.) Potuit etiam effici, quum iuxta collocata essent duo adiectiva, ut oppositio quaedam inter ea intercederet; quae quidem res probatur his locis III, 25, 15 sq. IV, 14, 29 sq. Est autem hic ordo in versibus Alcaicis, Sapphicis, Asclepiadeis, Iambicis. —

Deinde mira sane et memoratu digna res videtur, quod eorum ordinum, quibus primum locum obtinet *B* substantivum, rarissima sunt exempla. Id autem casu quodam factum non videtur, quum praesertim ordinum, quibus *b* adiectivum in fronte positum est, satis magna reperiatur multitudo. Atque eam causam mihi videor invenisse, ut propter mutuam nominum substantivorum rationem alterum *B* potiori *A* non facile potuisse praeferri credam. Hoc enim nomen *B* quum per se inferius sit et minoris dignitatis, potiore loco non potest ornari nisi propter eximiam quandam virtutem, qua ut moveantur legentium animi poeta voluit efficere. Quod si est, efficitur, ut non substantivum *B* sed adiectivum *b*, cuius potestate illud augeatur vel insigniter definiatur, primum locum debeat occupare. Unde intelligitur simul, qui factum sit, ut etiam vicesimus ordo *b A B a* sit rarissimus. Nam praeter Carm. I, 24, 9 „*Multis ille bonis flebilis* nusquam ita invenitur, ut uno versu quatuor vocabula coniungantur. In quo ordine quum adiectivum *b* primum, alterum *a* extremum locum occupaverit et alterum alterius aut discordia aut concordia videatur augeri, hoc quoque *a* tale esse intelligitur, quod nomini suo dignitatem impertiat. Tum vero *A* substant. propria virtute paene care

neque facile potest secundum locum obtinere. De illo autem loco „*multis ille bonis flebilis* occidit" iure dubitaveris utrum *multis* an *bonis* substantivi loco positum dicas. Sed quum deinde sequatur *nulli flebilior quam tibi*, satius erit *multis* pro substantivo habere quam *bonis*. Dicit enim Horatius *multis iisque bonis*, non *bonis iisque multis*; quamquam ne sic quidem usitatior ordo, decimus quartus, efficitur. Cuius rei causa in adiectivo *flebilis* cernitur, quod quum adverbii loco positum sit non debuit distrahi a verbo *occidit*.

Contra frequentissimi ordines sunt sextus, octavus, undecimus, duodecimus, vicesimus vecundus. De potestate autem singulorum ordinum tum recte iudicabimus, quum alios esse locos quibus quatuor vocabula unum tantum versum efficiant, alios quibus eadem duobus versibus divisa sint viderimus. Veluti quum legimus Carm. III, 8, 22

Cantaber sera domitus catena (ord. VI)

substantiva *Cantaber* et *catena* ita aures explere videntur, ut adiectiva undique circumclusa magnopere premantur; contra *catena* voc. vehementer eeferatur. Cum quo loco conferas quaeso hunc Carm. III, 1, 21 sq.

Non avium citharaeque cantus
Somnum reducent. *Somnus agrestium*
Lenis virorum *) cet.

animoque percipies, quantopere adiectiva *lenis* et *agrestium* eo quod in initio et in fine versuum collocata sint tollantur; contra substantivum *virorum*, quod per se nihil habet momenti, omnino evanesceret nisi caesura aliquantulum sustineretur. — Facit aliquid in hac re vocabulorum maior mi-

---

*) De hoc loco quae part. I. p. 16 sqq disputavi, ea ab *Iahno* (Ann. phil. XXIV. 4. 1838. 12 p. 434.) probata, improbata a *Duentzero* p 389 etiam nunc verissima mihi videntur. Nam si *agrestium virorum* genitivus esset coniungendus cum *humiles domos*, tria paria vocabulorum ita contorta haberemus, ut alterum exemplum simile eius rei reperturum me desperarem. Ipsius igitur poetae manus est quae quid dixerit ostendat, ut nobis ne dubitatio quidem permissa esse videatur.

norve numerus syllabarum. Nam ut eiusdem sexti ordinis exemplo utar, quum substantivum in primo loco collocatum unam tantum syllabam habet, consequitur ut insequentis adiectivi aut prima aut secunda syllaba arsin efficiat plusque momenti debeat nancisci. Quod quo facilius sentiatur, diversi generis duo exempla apponam:

Carm. III, 3, 5 dux inquieti turbidus Hadriae
II, 7, 5 Pompei meorum prime sodalium

Praeterea autem metrum quoque ipsum efficacissimum est; arses enim et theses ut in diversis metrorum generibus diversae sunt, ita vocabula, quae eiusdem ordinis eundem locum occupaverunt, diversam tamen gravitatem et vim habent in diversis carminibus collocata. In illis duobus exemplis ex metro Alcaico sumtis *turbidus* et *prime* adiectiva quum caesuram sequantur atque in arsi posita sint, maximam prope vim sibi vindicant; contra in his

Carm. II, 6, 5 Tibur Argeo *positum* colono
II, 16, 8 Spiritum Graiae *tenuem* Camenae

positum et *tenuem* adiectiva in eodem tertio loco ordinis collocata thesi graviter premuntur. Videtur igitur poeta in collocandis vocabulis praeter logicam rationem et singulorum nominum longitudinibus et metrorum necessitati obtemperasse. Huc accedit, ut et *κακοφωνίαν* vitare deberet et ipsorum ordinum gratae vicissitudini artificiose consulere. Quod quidem quam egregie ab Horatio factum sit, prima carmina secundi et tertii librorum exempla sunt et documenta. Sunt in carm. II, 1 decem diversi ordines:

v. 1. *Motum* ex *Metello consule civicum* (ord. 4).
v. 4. sq. *arma* Nondum *expiatis uncta cruoribus* (ord. 6.)
v. 6. *periculosae plenum opus aleae* (ord. 21.)
v. 7. sq. *ignes Suppositos cineri doloso* (ord. 1.)
v. 11. sq. *grande munus Cecropio* repetes *cothurno* (ord. 8.)
v. 13. *insigne maestis praesidium reis* (ord. 11.)
v. 21. *duces* Non *indecoro pulvere sordidos* (ord. 5.)
v. 29. Latino sanguine pinguior Campus (ord. 24.)
v. 36. *Quae* caret *ora cruore nostro* (ord. 7.)
v. 37. *relictis Musa procax iocis* (ord. 19.)

Corrigenda et Addenda.

P.	8 lin.	9	pro *intenta*		lege	*intentata*
—	55 —	16	— *çermina*		—	*carmina*
—	58 —	5	— *ab*		—	*ad*
—	60 —	17	— *suam ipsius*		—	*suum ips.*
—	65 —	2	— *calcandae*		—	*calcanda*
—	66 —	3	— *quaque*		—	*quoque*
—	68 —	7	— *Panthoidis*		—	*Panthoidae*
—	75 —	23	— *accasioa*		—	*occasion*
—	88 —	13	— *temporis*		—	*temporibus*
—	—	32	— *temporis*		—	*temporibus*
—	92 —	24	— *ab*		—	*ob*
—	105 —	21	— *praecique*		—	*praecipue*
—	106 —	24	— *vincero*		—	*vincere.*

p. 123. l. 7 nunc ip*sam* corrige: *nunc ipsum.*

p. 5 adde: Virgil. Aen. XI, 711

Tradit equum comiti paribusque resistit in armis,
Ense *pedes* nudo cet.

et ibid. X, 453

Desiluit Turnus *biiugis, pedes* apparet ire.

cf. ibid. XII, 510 sq. Comparari potest pugna quae describitur apud Livium IX, 22 extr.

p. 11. adde: Horat. Od. II, 4. 5 Aiàcem Tela*mone natum;* Virgil. Aen. VIII, 135 A*tlantide cretus;* Martial. VI, 64, 1 Cum sis nec *rigida* Fabiorum *gente creatus.*

p. 27. adde: Hor. Sat. I, 4, 106. Carm. I, 30, 3. IV, 9, 14. cf. Kirchner. ad Sat. p. 185. Peter ad Cic. Brut. 3, 10. p. 11.

p. 31. exemplis liberioris appositionis adde haec: Horat. Sat. I, 4, 110. Virgil. Aen. X, 311. Cic. Tusc. I, 26, 65. de orat. II, 19, 79.

p. 34. locis ibi de *nec* part. prolatis haec adde: Stat. Silv. III, 2, 4. III, 1, 110 ubi Markl. V, 1, 179. Lucan. Phars. I, 93.

p. 36. De nomine *tenax* confer praeterea: Virgil. Georg. I. 178. IV, 57. IV, 161. IV, 175. IV, 412. Aen. VI, 3. VIII, 453. XII, 404.

Digitized by Google

Index locorum.

Digitized by Google

Index rerum et verborum.

Digitized by Google

Bonnae, typis Caroli Georgii.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

This book should be returned to the Library on or before the last date stamped below.

A fine of five cents a day is incurred by retaining it beyond the specified time.

Please return promptly.

Digitized by Google

Lh 9.294
Quaestionum Horatianarum particula
Widener Library 005187356
3 2044 085 202 778

Digitized by Google